Diatriba
CHRONOLOGICA

Johannis Marshami.

LONDINI
Typis *JACOBI FLESHER.*
M. DC. XL. IX.

Plutarch. in Solone, p. 93. c.

Οὐ μοι δοκῶ προήσεσθαι χρονικοῖς τισι λεγομένοις κανόσιν, ὡς μύριοι διορθοῦντες ἄχρι σήμερον, εἰς ἡδὲν αὐτοῖς ὁμολογούμενον δύνανται καταστῆσαι τὰς ἀντιλογίας.

Doctiſsimo Amico
Johanni Gravio.

EQuidem ruſticabar totus, ab Amphictyonibus noſtris exauctoratus, neque extra pomœrium meum captabam auſpicia; ſed placido fretus otio, calamitatis publicæ, privatæq; injuriæ oblivioni indulgebam: quum tu me excitaſti, & ſepultæ admonuiſti inertiæ. Obtemperavi lubens; & quæ in amœniſsimo exilio, Oxonii non ita pridem excogitaveram; quæ jucundè inter claſsica diſceptaveram, in tractatulum hunc quàm potui minimum redegi; ex ſermone ſperans compendiario curtiorem calumniandi anſam. Non ſum ignarus (mi Amice) nonnulla eſſe εὐλιάβλητα. *Danielis interpretamentum vix erit immune vitii: at cenſoriam virgulam minùs reformidat; tum quia Patres antiquiſsimi inde non redarguerunt Judæos (ſicuti ex Juſtini cum Tryphone colloquio apparet) tum quia nihil adhuc eâ de re ſtatuit Eccleſia Chriſtiana. Quorſum verò expectarem ego mea iſtæc placitura aliis; quum aliena (virorum licèt ad miraculum doctorum) mihi uſquequaque non ſatisfecerint? A tantis viris diſſentire protervum forſan; ſed excuſatius, cùm nec illos* λεωφόρῳ ϛαλίζειν *videamus.*

Pedanei est ingenii aliorum vestigiis mordicùs inhærescere. Veritas semper inquisitu digna est; innoxii solemus in illum collimare scopum. Cæterùm, quum planè Lesbia sit Chronologiæ regula, nemo libertate hâc irritabitur, nisi qui literarum μονοπώλιον sibi vendicat. Non semper obtinet illud, Primum quodque verissimum: neque erroris antiquitas præscriptionem obstruit veritati. Inculpato itaque liceat mihi aliquanto liberiùs divagari, & propriis uti conjecturis. Haud magno stabit lectori aut labore, aut pretio. Approbet quisque, vel improbet quantumcunque lubet. Non ego χνείας obtrudo δόξας; neque sectatorem expecto, qui neminem sequor: insectatorem nollem, quia neminem insector. Si quid dictum sit, quod minùs arrideat, pro non dicto habeatur. Si sit gratia, tibi parario debetur; si venia, mihi: qui quidem nihil malo, quàm ut, officio functus, animi ponam verè amici symbolum.

Cuxtoniæ ad Medwegam
Id: Aug: MDCXLVIII.

DIATRIBA CHRONOLOGICA.

NOn occurrit certum historiæ Sacræ Exoticæque vinculum ante initium Cyri. Contigit illud (magno veterum[a] consensu) anno primo Olympiadis LV^a, qui est annus Nabonassari CLXXXVIII. Regnavit dein annos XXX. At in Ptolemaico Babyloniorum regum Canone (quo nihil habet Chronologia luculentius) primus Cyri annus est Nabonassari CCX^us; regnátque novem. Scilicet Cyrus, cùm regnasset XXI annos, Babylone demum potitus est, & inter illius urbis reges tum primùm numerari cœpit. Babylonicum hoc Cyri initium, finis est septuagenariæ Captivitatis Judæorũ, eorúmque res cum extraneis connectit.

Sit itaque totius vetustioris Chronologiæ (& Dissertationis nostræ) basis, annus hic Nabonassaræus CCX, qui est tertius Olympiadis LX^a.

a *Eusch. præp. l. 10. ex Africano.*

Hæc licèt trita, non erant prætereunda; si res superioris ævi stabilire velimus. Quod ut sigillatim faciamus, Ebraica primùm tempora percurremus, deinceps cætera.

Ab Orbe condito ad Exodum.

AB initio rerum ad Diluvium (cum toto Chronologorum choro) numeramus annos MDCLVI, secundum Genealogias[a] sacras; Ebraicos secuti codices: nam Samaritanorum, Græcorum, aliorúmque differentes calculos non moramur.

a *Gen.* 5.

ADiluvio ad peregrinationem Ebræorum (quæ cœpit an. Abrami 75) numerandi sunt anni CCCCXXVII; simili Genealogiarum sacrarum[b] computo. A Veteribus hîc non immeritò discreditur, & natalis Abrami annus statuitur anno patris CXXX°, non autem LXX°. Abram profectus est ex Haran in Chananæam post mortem Teræ; quod & historiæ series, & diserte S. Stephanus[c] docet. Obiit Terah anno ætatis[d] CCV. Abram proficiscens, annum agebat[e] LXXV. Quod autẽ dicitur

b *Gen.* 11.

c *Act.* 7. 4.

d *Gen.* 11. 32.

e *Gen.* 12. 1.

dicitur, *Teran*[a] *vixisse annos* LXX, *& genuisse Abram, Nahor, Haran* intelligendum est non cœpisse ante istam ætatem gignere; non autem inde constat omnes natos isto anno, non omnes isto ordine. Abrã ibi prærogativâ, non primogenitură primus. Sic numerantur *filii*[b] *Abrahami Isaac & Ismael*; at Ismael natus patris 86to, Isaac 100mo. Sic inter Noæ filios Shem[c] aliquoties primus nominatur: at in recensendis Genealogiis (secundum naturæ ordinem) tam Japhet[d], quàm Ismael primum locum obtinent.

a Gen. 11.26. vide Diodatu Annotat.

b 1 Chron. 1.28.

c Gen. 5.32.

d 1 Chron. 1.5. ibid. 29.

TErtium intervallum est CCCCXXX annorum ad Exodum. Tempus hoc ab ipso Mose[e] designatur. *Habitatio filiorum Israel quâ manserunt in Ægypto fuit* CCCCXXX *annorum.* Sed est manifesta Synecdoche, quam 70 interpretes pulchrâ explicatione sic reddunt. Ἡ δὲ μετοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, [καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν] ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. Intelligendum enim est non tantùm de posteris Israelis, sed & de parentibus; nec tam de servitute, quàm de peregrinatione. Quod & ipsa Prophetia, circiter 30 annos post egressum Abra-

e Exod. 12.40.

mi (nato jam Isaaco) edita, docet. *Scito*[a] *prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, & subjicient eos servituti, & affligent eos quadringentis annis.* Suffragatur Apostolus[b], qui à Promissione (terræ illius in qua peregrinari[c] cœperat Abraham) ad Legem (latam paulò post Exodum) numerat CCCCXXX annos.

Æqualis est hujus intervalli partitio: Ante κατάβασιν in Ægyptum sunt anni CCXV, totidémque post. Isaacus, natus post egressum ex Haran an: 25, annum agens 60, genuit Jacobum; qui anno ætatis suæ 130 descendit in Ægyptum. Altera pars constat ex IV[d] *generationibus*, quarum tempora ex Scripturâ non est definire. Ex conjecturâ computavit Epiphanius[e], sed perplexè. Concinnior multò est Demetrii calculus (quem ex Alexandro Polyhistore exhibet Euseb:[f]) nisi quòd Cohathum[g], qui in migrante Jacobi familiâ recensetur, sub ejusdem mortem, natum putat.

a *Gen.*15.13.

b *Gal.*3.17.

c *Gen.*12.7. 13.15.

d *Gen.*15.16.

e *In Ancoratu.* § 112.

f *Præpar:Evan: l.9.c.21.p.425.*

g *Gen.*46.11.

Ab

Ab Exodo ad Templum.

QUæ hactenùs, nemini non dicta. Sequitur intervallum ad Solomonis Templũ, crux illa Chronologorum; licèt nullum ſit in Chronologiâ magis ῥητὸν, magis inſigne θαῦμα. *Anno* CCCCLXXX (inquit ſacra[a] hiſtoria) *ab egreſſu Iſraelitarum, ex Ægypto, anno regni ſui quarto Solomon cœpit ædificare domum Domini.* Fruſtrâ ſunt, qui contra tam expreſſa Scripturæ verba contendunt. Veruntamen 2^x eſt dubitandi anſa. Ex ſingulis hujus intervalli partibus in unam ſummam conjectis, longè major conficitur numerus: Qui ex Act. 13. 20. confirmari videtur; ubi inter χλιοστάρχαν, & Samuelem numerantur anni CCCCL; quibus ſi, quæ præceſſerunt tempora, quæque ſecuta ſunt, accumulentur, ultra præſcriptos conſurgunt limites. Fatendum eſt expanſos in libro Judicum numeros ſummam 410 annorum efficere; additis Eli 40, fit numerus D. Pauli CCCCL. non tamen inde ſequitur totidem annorum fuiſſe continuatam Judicum ſeriem: id non fert hiſtoriæ veritas: Non enim erat Ju-

[a] 1 *Reg.* 6. 1.

diciaria apud Judæos poteſtas abſque interregnis: & interjecta ſex ſervitutis ſpatia, in quibus nemo præfuit populo, annos CXI Paulinæ ſummæ occupant. Apoſtolus de numero hæſitanter pronunciat. Ὡς ἔτεσι, inquit, τετρακοσίοις, καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτάς. Deus *quaſi annis quadringentis quinquaginta dedit judices.* Ηγεμόνες hi αὐτοκράτορες (non ἀμέσως ſuccedentes) erant *Judices*[a], *qui liberarent eos de vaſtantium manibus*; *Salvatores*[b], *qui ſalvarent eos de manu hoſtium in tempore tribulationis ſuæ*, non jugiter. Qualis *Aod*[c] *Salvator*: Quales erant Romani interreges; extra ordinem; ſed non ita divinitùs conſtituti, aut donis inſtructi Propheticis. *Suffetis* vocabulum (apud Ebræos) *vindicem*, *ultorem*, *liberatorem*, propriè ſignificare, ab aliis notatũ eſt. D. itaque Paulus *Salvatorem Jeſum* (v. 23.) Judæis Piſidienſibus prædicaturus, exordium capit à priſtinis Iſraelitarum vindicibus, à Deo miſsis. Quaſi dicat. Moſen miſit, Joſuámque, alióſque multos, quorum in libro Judicum mentio; ſingulos recenſere longum eſt, quum liber iſte diuturnâ exemplorum ſerie redundet, & varios habeat annorum numeros, qui ſi in unam ſummam redigerentur,

a Iud. 2. 16.
b Eſt. 9. 27.
c Iud. 3. 14.

συλ-

viri [illegible] nomen [illegible] volunt ex Ebraico [illegible] Punico Sophetin, quod iudices significant. plura vide apud Seldenum lib. 1. c. 14. De Synedriis Judaeorum pag. 588

συλλήβδην efficerent circiter CCCCL annos. Propositum Apostoli fuit multiplicem Dei beneficentiam illustrare; accuratum Ebraicæ Chronologiæ calculum instituisse, fuisset ἐκτὸς χορᾶ ὀρχεῖσθαι. Apostolus (inquit Eusebius[a]) τὰ ΝΥ ἔτη οὐκ ἀκριβολογούμενος εἶπεν, ἀλλὰ σαθροχῇ χαιροτέρᾳ. Ista mens Apostoli, si modò verba ipsius ista sint. Nam diversam (quam edidit R. Stephanus) lectionem perantiquam esse, tum Latina versio probat, tum Cyrilli Patriarchæ codex antiquissimus in Bibliothecâ Regiâ. Κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἐτεσι τετρακοσίοις πεντήκοντα· καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτάς. *Sorte distribuit* (juxta vulgatam) *eis terram eorum, quasi post* CCCCL *annos*: & *post hæc dedit Judices*. Sed nec hoc modo difficultas omnis sublata est. Quidam ab Exodo ad Jebusæorum ex Sione ejectionem; alii à Promissione in ortu Isaaci confirmatâ, ad κληρονχίαν numerant. Utcunque legatur, mihi videtur illud μετὰ ταῦτα non malè referri ad præcedentia v. 17. & ad *electionem Patrum* potiùs, quàm *exaltationem populi*.

[a] *In Græcis Scalig. p.* 32.

Reliquum est ut exundantes istos numeros intra ripam colligamus; quod nullo negotio fiet,

fiet, si Servitutum tempora attentiùs expendamus. Sex omnino sunt Servitutes, quarum quatuor priores (quas Chusan, Eglon, Jabin, & Madianitæ intulerunt) diversissimas esse, & diversa habere tempora, sibi invicem successivo ordine propria (& non insequentium Judicum spatiis obsorbenda) in Scripturâ constat. Nec minùs constat reliquas duas Servitutes (ab Ammonitis cap. X. 8. & Philistæis cap. XIII, 1.) non adeò diversas esse, nec tempore successivas, sed συγχρόνους, seu contemporaneas. Cœperunt ambæ simul, non desierunt. Ob multiplicatam Idololatriam (v. 6.) duplicatur pœna, & ab utroque latere immittitur hostis. *Tradidit*[a] *eos in manus Philisthim, & in manus filiorum Ammon, & detriverunt, & oppressérunt filios Israel, in ipso* (vel eodem) *anno. Octodecim annos Ammonitæ &c.* Uno eodémque anno, ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ[b] Ammonitæ, & Philisthæi (quasi fœderati) hi ab Oriente, ab Occidente illi, invásérunt Israelitas: sed non eodem anno expulsi sunt. Dominati sunt Ammonitæ an: XVIII, Philisthæi autem XL. Spectat enim hæc præfatio non tantùm ad ea, quæ de Jephthe, sed etiam ad ea, quæ de Sam-

a *Iud.* 10. 7.

b *Septuag.*

Samſone narranda ſunt: neque alia eſt hæc Philiſthæorum incurſio ab illâ, cujus narratio differtur in cap: XIII, ſed ambæ prorſus una, eadémque. Nempe quum duæ eſſent hujus hiſtoriæ partes, quæ, ſi narrarentur ſimul, obſcuritate intricarentur; ideò viſum eſt (poſt præmiſſam utriuſque mentionem) narratâ priùs breviore parte, deinceps tranſire ad alteram. Adhibitâ hujus Synchroniſmi (parùm hactenùs animadverſi) ratione, evaneſcunt protinus difficultates omnes, quæ intervallum hoc perturbant, & ſingulæ illius partes intra ſepta rediguntur.

Cæterùm, ut in longo tot annorum curſu progrediamur tutiùs, Jephthes (velut Mercurius bifrons) antrorſum & retrorſum nobis viam indicat. *Trecentos*[a], inquit, *annos Iſraelitas Tranſamnanam regionem habitaſſe*, quam quadrageſimo Moſis anno occuparant. Præteritis CCCXL; manent CXL; quorũ LXXXIV tribus Regibus competunt, ad Templi Epocham; XL Philiſtææ Servituti; reliqui XVI Samueli[b] relinquuntur. Anni (qui ſunt 49) Ammoniticæ Servitutis, Jephthis, ſucceſſorúmque ejus, unà cum annis Philiſthæorum,

a *Iud.* 11.26.

b 12 *attribuit Joſephus.*

Samuelíſque concurrunt. Samſonis autem XX anni continentur *in diebus Philiſtæorum*[a], id eſt, intra annos illos XL, quibus *dominati*[b] *ſunt Philiſtæi in eos*. Neque fuit is unquam cum imperio; neque liberavit populum, cùm vinctus ipſe à ſuis dederetur. Heli itidem (qui Arcam amiſit, obiítque[c] anno XX° Servitutis, id eſt XX annis ante devictos ad Ebenezer Philiſtæos) non habendus eſt vindex populi. Illius Judicatura (quandocunque cœperit) non alia fuit, quàm litium (pro Pontificali authoritate) diſceptatio, juríſque dictio. Qualis fuit olim illa Deboræ ſub palmâ; qualis illorum qui Gedeoni, Jephthíque ſucceſſerunt in pace: qualis filiorum Samuelis, qui à patre *conſtituti*[d] *ſunt judices*: qualis denique, poſt unctum Saulem, ipſius Samuelis, qui *judicavit*[e] *Iſraelem omnibus diebus vitæ ſuæ*: vixit[f] autem, regnante Saule, annos XVIII. Non ſurrexit itaque liberator populi ante Samuelem. Celebris illa ad Ebenezer victoria quadragenariæ Philiſtæorum dominationi finem impoſuit. Sic[g] demum *depreſſi ſunt Philiſtæi, neque deinceps invaſerunt Iſraelitas in diebus Samuelis, redactæque ſunt civitates*. Iſti Samuelis dies, ſunt XVI (quos

a *Iud.*15.20.
b 15. 11.
c 1 *Sam.*7.2.
d 1 *Sam.*8.
e 1 *Sam.*7.14.
f *Ioſeph. l.* 6. *in fine.*
g 1 *Sam.*7.13.

(quos diximus) anni, quibus præfuit ille populo ante inaugurationem Saulis. Anno enim regni Saulis[a] *secundo* recruduit bellum cum Philistæis[b]; *& fuit validum bellum cum Philistæis omnibus diebus Saulis.* Samuel judicare cœpit (secundum Synchronismum nostrum) judicante adhuc Elone Zabulonitâ; post quem Samueli contemporarius fuit Abdon in Ephraim, qui pacatam judicavit provinciam. *Fuit*[c] enim *pax inter Israelitas & Ammonitas.*

a 1 *Sam.* 13.1.

b 1 *Sam.* 14.14

c 1 *Sam.* 7.14.

Neque enim alienum est à politico Ebræorum statu, aut plures Judices, aut bellum pacémque eodem tempore (diversis in partibus) extitisse. Præpropera terræ non penitùs subactæ sortitio dissipaverat Tribus, & luxaverat Remp: Nullum inde usque commune concilium, neque quicquam ex bono publico agebatur. Συνέβαινεν[d] ἤδη ἀριστοκρατίαν διαφθάρθαι, καὶ τὰς γερουσίας οὐκ ἀπεδείκνυσαν, οὐδ' ἀρχὴν ἄλλην οὐδεμίαν τῶν πρότερον νενομισμένων. *Evênit jam Principum authoritatem pessundari, nec Synedria cogi, nec quemlibet magistratuum priùs constitutorum creari.* Nec ante Jehosophatum[e] regem restaurata sunt Synedria. Exciti sunt Suffetes extra

d *Ioseph. l.* 5. *c.* 2. *p.* 146. *e.*

e 2 *Chron.* 19.5.

 ordinem.

ordinem. Non[a] aliud habuerunt Ebræi πολίτευμα, quàm θεοκρατίαν[b]; nec fuit illa continua: ceſſante Prophetiâ, ſubiit Anarchia. Sed nec ex Judicibus quiſquam ferè fuit, qui univerſo Iſraelitarum populo præfuit: alias atq; alias Tribus, quæ ſe illis ſponte ſubjicerent, pro imminente hinc inde periculo, duxerunt. Id in delectis Baraci[c], Gideoníſque[d] exercitibus perſpicuè cernitur: & in duplici hâc (quam tractamus) impreſsione, Ammoniticum negotium *Jephthæ*[e], *ſuóque populo* (id eſt Tranſamnanis) incumbit totum; Philiſtæum autem Judæ.

Ex quo tempore *Reubenis*[f] *primogenitura data eſt filiis Joſeph, Dúxque conſtitutus eſt Juda* (divinitùs per patrem[g] prælatus fratribus) quo jure ampliſsimas, tutiſsimáſque provincias (quaſi duplum hæreditatis) ſortitæ ſunt principales iſtæ Tribus, elati ſunt utrinque non ſine æmulatione animi: nullum deinceps junctarum virium, aut initi contra hoſtem fœderis veſtigium. Sub rege tandem Saule conſcriptæ ſunt utriuſque partis copiæ; ſed ſeorſim[h]: Poſt Saulē fit Schiſma, quod inveteraſcit poſt Solomonem. Diverſarum itaq;

Tribuum

a *Ioſeph. Apion. l.2.p.* 1071.
b 1 *Sam.*12.12.
c *Iud.*4.10.
d 6.35.
e *Iud.*12.2.
f 1 *Chron.*5.1.
g *Gen.*49.8.
h 1 *Sam.*11.8.

Tribuum fortunæ, non potuerunt esse non diversæ, quum singulæ res suas seperatim administrarent.

Regrediamur jam ad anteriorem hujus intervalli partem; cui trecenti illi à Jephthe putati anni haudquaquam sufficere videntur: quum quatuor illa servitutis alternatæque pacis spatia (à primo Chusani anno ad Jairis ultimum) numerum istũ anno uno excedant; adeò ut nec Josuæ, nec illi *post Josuam* [a] *generationi* idololatricæ quicquam superſit. Ut occurratur huic difficultati, licebit (ad exemplar illius, quem explicuimus, sacrâ authoritate innixi) Synchronismum alterum adhibere ex congruo. Post secundam Servitutem, sub Eglon Moabitarum rege, *Quievit* [b] *terra* LXXX *annis* [c]; *& addiderunt Israelitæ ut facerent malum in oculis Domini, & Ehud mortuus erat: & tradidit eos Dominus in manum Jabinis, regis Canaan, qui regnavit in Hazor.* *Terram* intellige illam, de quâ sermo fuit; non πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, sive terram κατ' ἐξοχήν, Israelitida, sed Orientaliores Tribus; quæ (excusso Moabitarum jugo) libertate potitæ sunt, usque ad irruptionem Madianitarum. Intereà non tantùm Philistæi,

a *Iud.* 2. 10.

b *Iud.* 3. 30.

c 4. 1.

[a] *Iud.* 3.31. Occidentales limites invadentes, à Shamgare[a] repulsi sunt; sed etiam Cananæi Tribus Septentrionaliores vexant, Hazoriticum agrum (in sorte Aser) occupant, & XX annis tenent; durante nihilominùs Orientalium Tribuum quiete. Devicto tandem per Septentrionales Tribus Siserâ, ubique pax; donec, post XL annos, longè latéque depopularentur Madianitæ, eorúmque fœderati, ab Oriente. Quamdiu vixerat Ehud incertum est: illum totis [b] *Iud.* 3.31. LXXX annis Eglonem (quem[b] occiderat) supervixisse neque dictum, neque verisimile est. Constat tantummodò tyrannidem Cananæorum, post mortem Ehudi, cœpisse. Si supponamus Jabinem (mortuo jam Ehudo) impetum fecisse in Israelitas, circa annum ab expulsis Moabitis vicesimum (nam illius dominatio erat XX annorum, & pax secuta est XL) hoc pacto conficitur Synchronicus LX annorum numerus, & supererunt principatui Josuæ anni XXV (quot ei tribuit Josephus, neutiquam ob id castigandus) & novæ Generationi anni XXXIV, pænè totidem, quot Generationi in Deserto assignantur.

Æra

Æra Templi.

DIſcutienda jam venit Æra Templi, quâ non eſt alia ſalebroſa magis, & perplexa; tùm quòd, duplici regum ſucceſsione invicèm comparandâ, adſcititiiſque utriuſque regni conſortiis, implicatur; tùm quòd, cùm certo non ſit determinata ſpatio, pateſcit humano ingenio divagandi licentia. Accidit mihi, arduum hoc tentanti negotium, ut Jechoniæ regis captivitas in annum à Templo condito CCCXC (ſecundùm meas rationes) incideret. Stabiliretur eximiè hoc intervallũ, utpote ſacris incluſum cancellis, ſi celebris ille Ezechielis[a] numerus eſſet ipſa (Judæis uſitatiſſima) Templi æra. Neque foret id à ratione omninò abſonum: quippe interpretari licet poliorceticon ibidẽ Prophetæ Symbolum de obſidione[b] illâ, in quâ deditionem fecit Jechonias; non obſtantibus annis in limine libri[c] inſcriptis: neque adeò certum eſt, Ezechielem unà cum Jechoniâ eſſe abductum; & an non dicta ſint iſta παραπεπηγότως. Sed quia ſingula tractare majoris eſſet moliminis, quàm

a *Ezech.* 4.5.

b 2 *Reg.* 24.10.

c *Ezech.* 1.

quàm ferre posset hujus instituti brevitas, & ipse forsan viderer nimiùm περιεργάζεσθαι, supersedentes Epochæ Prophetic æ authoritati, præstitutũ temporis intervallũ declarabimus.

Duo sunt præcipuè, quæ Æram Templi (apud Chronologos) ultra modum extendere solent; Interregnum post Amasiam; & duplicatum Hoseæ Novennium; quæ non ex historiâ sacrâ, sed ex interpretatione oriuntur. Ut autem singulæ sese invicèm illustrent partes, collatam utriusq; regni seriem percurremus.

		Æra Templi
	ANnus Templi 37 erat Rehoboami primus;	37
I Reg. 14.21.	Is tunc *filius* XLI *annorum in regnando* (i.e.) expleto patris anno 40, succesit anno proximo. Eodem anno	
15.1.	cœpit Jeroboã; *Ejusdẽ* XVIII^us erat I^us *Abiami, qui regnavit annos* III, incompletos;	54
9.	XX^us autem erat I^us *Asæ*; ipsiúsque	56
14.20.	ultimus. Sed *regnasse* dicitur *Jeroboam annos* XXII. Scilicèt, *regnavit Nadab filius pro eo*;	
15.25.	*Anno* II *Asæ cœpit regnare*; & *regnavit* II *annos*. Non ultra 22 annos	57
33.	mansit Sceptrum in domo illius schismatici. Nam (cæso Nadabo) *tertio Asæ*	58

Æra Tepli		
	Asæ regnavit Baasa in Tirza annos XXIV.	
81	Eo anno, qui erat *Asæ*[a] XXVI[us], *regnare cœpit Ela.* Quòd autem dicitur *Baasam*[b] *anno* XXXVI° *Asæ ædificasse Ramam*, est numeris Platonicis obscurius. Alii, non ab initio Asæ, sed à morte Solomonis numerant: alii, emissâ tricesimi notâ, numerum imminuunt.	a *I Reg.* 16.8. (b 2 *Chron.* 16.1.)
82	Mihi satius est silere. *Regnavit*[c] *Ela* II *annos*, non plenos; nam *anno*[d] XXVII° *Asæ* (post septiduum Zimri) fit Schisma; *Dimidium*[e] *populi erat post Tibni, sed prævaluit populus qui erat post Omri. Regnavit Omri annos* XII. *Anno*[f] XXXI° *Asæ* (sui 5to) *condidit* **S**amariam; quò regiam transtulit anno proximo, postquam *regnaverat in Tirza* VI *annos. Anno*[g] *Asæ* XXXVIII (is est ultimus Omri) *regnavit Achab*; *cujus*[h] *anno* IV° *Jehosaphat succesit Asæ. Ejus*[i] *anno* XVII° *regnavit Ahasias biennio* penè, cum patre. *Anno* proximo[k], XVIII° *Jehosaphati*, (Ahasiâ per cancellos decidente, & Achabo moriente) *regnavit Joram super Israel*, cum fratre Ahasiâ. *Anno*[l] V[to] *Joram regis*	c 16.8. d 15. e 22. f 23. g 29. h 22.41. i 1. k *II Reg.* 3.1. l 8.16.

		Æra Templi
	Israel, regnante adhuc Hierosolymis *Jehosaphato, regnavit Joram filius Jehosaphati, rex Judæ*; à patre scilicèt, anno suo 22°, in regni consortium vocatus. Anno	
a *II Reg* 1.17.	proximo, qui est II^us *Jorami*[a] *regis Judæ*, *moriente Ahasiâ* solus *regnavit Joram* in Israele, cùm sex annis fuisset regni consors cum fratre. Post biennium, obiit	119
	Jehosaphat, anno XXV^to; & Joram Rex Judæ regnavit solus. Quatuor	121
b 8.16.	dein elapsis annis, quum *regnasset*[b] *Joram* VIII *annis in Jerusalem*, successit *A-*	125
c 25.	*haziasc anno Jorami* Regis Israel XI°	
d 9.25.	completo, ineunte verò[d] XII°. Eò ipso anno, ambo reges (scilicèt Judæ & Israel) à Jehu interempti sunt, qui succes-	
e 11.4.	sit ipse in Israele, sicut Athalia vidua in Judâ. *Illâ*[e] *anno* VII° *occisâ*, *re-*	131
f 12.1.	*gnavit*[f] *Joas*; *cujus*[g] *anno* XXIII°, *regnavit*	153
g 13.1. h 10.	*Joahaz rex Israelis*. *Anno*[h] XXXVII° *Jo-*	167
i 14.1.	*æ*, *regnavit Joas*. *Anno*[i] *Joæ* II^do *regnavit Amazias*; cum patre scilicet trien-	168
k *Lib.* 9.	nium. Ejus anno 14to (teste[k] Josepho) diripiuntur Hierosolyma à Jehoâ;	181
l 23.	cui anno proximo[l], XV^to *Amasiæ succe-*	182
	sit	

Æræ Templi		
	ceſsit Jeroboam ſecundus. Circa illius	
193	annum 12um, Amaſiæ verò 26^tum^ videtur Azarias (qui Uzziah dictus) à patre in regni conſortium aſſumptus.	
208	Nam *anno*[a] XXVII° *Jeroboam regnavit Azarias*: quo tempore *filius*[b] XVI *annorum erat in regnando*, i. e. totidem annos regnaverat.	a II Reg. 15. 1. b 2.
	Nam [*Filius annorum*] Hebræis non minùs de regni, quàm ætatis annis intelligitur. Sic David, cùm ſuccederet Saulo, dicitur [*filius*[c] XXX *annorum*] non quòd decimo Saulis anno natus eſſet (id enim hiſtoriæ parùm congruit) ſed quòd eo anno (ut & à Cedreno notatum) à Samuele inauguratus. Sic Saul, anno regni ſecundo, dicitur *filius*[d] *unius anni*: quod de ætate intelligere, eſſet inſanire. Sed pergamus.	(c 2 Sam. 5. 4.) (d 1 Sa. 13. 1.)
222	Cùm 16us annus Azariæ ſit 27us Jeroboami, illius 30us erit hujus 41us, qui & ultimus. Poſt quem, contigit ſeptennium interregni in Iſraele. Nam	
230	non niſi *anno*[e] XXXVIII° *Azariæ regnavit Zecharias*. *Anno*[f] *Azariæ* XXXIX°	e 15. 8. f 13.

		Æra Tepli
a II Reg. 15. 17.	(*poſt Sallumi menſem*) *regnavit*[a] *Menahem.*	
b 23.	*Anno*[b] *Azariæ* L°, *regnavit Pekaiah. Anno*	242
c 27.	*Azariæ* LII° (qui ultimus) *regnavit Pe-*	244
d 32.	*ka. Anno*[d] II° *Pekæ regnavit Jotham*[e].	
e 33.	*Cùm regnaviſſet Jotham* XVI *annis*, id eſt	245
f 16. 1.	*anno*[f] XVII° *Pekæ regnavit Achaz*, à pa-	260
	tre in regnum eodem anno aſcitus.	
	Triplici horum Regum charactere notatur Prima Iſraelitarum Deportatio, quâ *Galilæa* facta eſt Provincia	
g 15. 37. 16. 5.	Aſſyriorum[g]. *Tunc* enim, *in diebus illis aſcendit Reſin & Peka contra Achazum, qui in ſuppetias conduxit Teglat-Phul-Aſſar* regẽ Aſſyriorum, qui non modò Syriam[h]	
h 9.	Damaſcenam ſubegit, ſed[i] & Septentri-	
i 15. 29. (k *Chron. Alex-andr. Olymp.* 5.)	onaliorem regni Iſraelitici partem[k] πλὴν Γαλιλαίαν πᾶσαν, in Provinciæ formam redegit; quæ deinde ex *limitis* notione, *Galilæa* dicta eſt: Et apud Eſaiam (IX. 1.) paucis poſt annis, cognominata eſt *Galilæa Gentium*, à renovato nationum incolatu, & Iſraelitarum eradicatione:	
l 15. 29.	Nam *deportati*[l] *ſunt in Aſſyriam.* Neque	
m 1 Reg. 9. 2.	enim ad Solomonis[m] cum Hiramo pactionẽ, neq; ad antiquiora tempora	
	deno-	

Æra Tripli

denominationem hanc referre possum. Nam in libro Josuæ XX. 7. XXI. 32. & fortasse XII. 23. non aliter occurrit *Galilæa*, quàm *Tyrus*, XIX. 29. *Cabul* XIX. 27. *Jectheel* XV. 38. quæ sunt inferioris ævi vocabula. Tyrus enim diù post κληρωχίαν condita; non nisi *anno*[a] CCXL° *ante Templum*. Vox *Cabul* sub Solomone[b]: *Jectheel* demùm sub Amazia[c] rege nata. Itaque per prolepsin usurpantur nomina ista: nec tempus, de quo agitur, sed *hodiernum*[d] *diem*, id est Scriptoris (puta[e] Ezræ) ætatem respiciunt.

260 Contigit igitur ἄλωσις ista *Nephthalitica*, anno Pekæ XVII°, Achazi I°, Jothami XVI°.

264 ANno 4to Achazi, & *Jothami*[f] XX°
266 *regnavit Hosea*; *cujus*[g] *anno* III° *regnavit Hezekiah* à patre (anno sui regni sexto) in consortium adhibitus. Quemadmodum prima Deportatio, ita & secunda trium regum (eodem tempore regnantium) annis insignitur.

270 *Anno*[h] IV^to^ *regis Hezechiæ, qui erat*

a *Joseph. l. 8. c. 2.*
b 1 *Reg.* 9. 13.
c 2 *Reg.* 14. 7.
d *Ios.* 15. 63.
e 2 *Maccab.* 2. 13. *Irenæi l. 3. c. 25.*
f II *Reg.* 15. 30.
g 18. 1.
h 18. 9.

annus VII *Hoseæ*, & X^us Achazi, *Salmanasser obsedit Samariam, cepitque*[a] *sub finem tertii anni; anno sexto Hezechiæ, qui erat nonus Hoseæ*, & Achazi 12us. Nam *in anno*[b] XII° *Achazi, regnaverat Hosea* IX *annis*. Ita enim vertendum puto non *regnabat*, vel *regnavit*. Ebræi unicum præteriti genus agnoscunt, quod, pro contextu sermonis, aut per præteritum perfectum, aut imperfectum, aut plusquam perfectum exponi solet. Sic desiit regnum Israeliticum, cùm durasset annos CCXXXVI; & *Samaria* fit Secunda Assyriorum provincia.

Æra Tēpli

a II Reg. 18. 10.

b 17. 1.

272

c 2 Reg. 16. 1.

d 2 Chron. 29. 3.

e 2 Reg. 18. 13.

f 20. 6.

R*Egnavit*[c] *Achaz annos* XVI: eo mortuo, repurgavit Templum *Hezekias*[d], *in anno primo, quo regnavit* solus, qui est consortii decimus. *Anno ejus*[e] XIV° *Sennacharib rex Assyriorum obsedit Hierosolymam: & ad vitam*[f] *Hezekiæ adjecti sunt anni* XV. quibus peractis, regnavit Manasses annos LV. Dein Ammon II. Josias XXXI. Post trimestre Joachæ regnum Jehoiakim Rex constituitur à Pharaone Necho, iterúmq; anno

276

280

295

349

350

380

Æra Tepli

anno[a] VIII° à Nabuchodonoſoro Babylonio[b], *cui ſervivit annis* III: tunc autem ab eodem deficiens, occiſus eſt; anno conſtitutionis ſuæ Babylonicæ[c] *tertio*, Ægyptiacæ autem[d] *undecimo*. Succeſsit filius Joachin, qui & Jechonias dictus, eodem anno (poſt 3 menſes) in Babyloniam deportatus. Erat is annus (ſi modò rectè computavimus)

387

390 à fundato Templo CCCXC; qui utrùm ſit ipſe Ezechielis numerus, ulteriùs diſquirendum relinquimus. Ultimus Davidicorum regum Sedechias,

401 cùm regnaſſet annos XI, excæcatus deducitur Babylonem. Deletis Hieroſolymis, exuſtum eſt Templum, cùm ſtetiſſet annis integris CCCC: regnúmque *Judæ* ſit Tertia, ſed Babyloniorum, Provincia.

a *Ioſeph.* 10.7.

b 2 *Reg.* 24.3.

c *Dan.* 1.1.

d 2 *Reg.* 23.36.

A Calamitate hâc ad initium Cyri Babylonicum, quo deſiit Babylonica Judæorũ captivitas, excurrunt anni LXX.

Æra

Æra Mundi.

EX collectis hiſce intervallis confici ſolet Æra Mundi; omniũ quotquot uſurpantur incertiſsima, ob multiplicem computatorũ inter ſe, non de annis tantùm, ſed & de ſæculis diſcrepantiam.

Secundùm illa quæ à nobis jam diſſertata ſunt, ſummatìm ab Orbe Condito ad Reditum Judæorum, ſive conſtitutum ſuprà[a] Nabonaſſari annum, numerantur anni 3463.

a *Pag.* 1.

A Mundo condito ad Diluvium	1656
A Diluvio ad Profectionem Abrahami	427
Duravit Peregrinatio Ebræorum ad Exodũ	430
Ab Exodo ad fundatum Templum	480
Stetit Templum	400
Duravit Captivitas Babylonica	70
	3463

Ad

AD hunc modum Chronologia ſacra. Exterorum res plurifariàm ſe habent. Conſideranda præcipuè ſunt regna Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum.

Res Græcorum ſeorſim tractandæ ſunt: Nam Græca Barbaris parùm commixta ante pugnam Marathoniam.

Romana conſultò præterimus: quia nondùm innotuerunt. Serò enim notitia eorum, qui Occidentem accolunt ad Græcos pervenit; adeò ut Theopompus (ſub Alexandro magno) primus[a] Græcorum Romæ mentionem reliquerit: Et Ephorus[b] ejuſdem condiſcipulus (Hiſpanos) "Ιβηρας πόλιν ἐν μίαν exiſtimaverit.

Aſſyriaca ob antiquitatem primo loco tractari merentur: ſed quoniam Ebraica non niſi cum Babylonicis connectuntur; indagandum eſt imprimis quibus impaginibus hæc invicem cohæreant.

a *Plin. l. 3. c. 5.*
b *Ioſeph. cont. Apionem l. 1. p. 1039. a. Vide Plutarch. in Camillo. p. 140. a.*

De Regno Babylonico.

BAbylon urbs antiquiſsimis cœleſtium motuum obſervationibus inclyta (quæ quidem [a] annorum fuerunt 1903 Alexandri Magni tempore; obiit is anno Nabonaſſari 424) diù Aſſyriaci imperii pars fuit. Tandem novi Imperii Caput evaſit, cujus Nabonaſſar ~~quidem~~ fundamenta jecit anno (ex hypotheſi Per. Jul.) 4967. Primorum regum geſta prorſus ignota ſunt: ſupereſt tamen exactiſſima regni Babylonici Chronologia. Nam Canonem expreſsit Ptolemæus, in quo Regũ omnium, qui Babylone regnarunt (poſt Nabonaſſarum) *Aſſyriorum, & Medorum*, ad Cyrum; inde *Perſarum* ad Alexandrum, nomina recenſet; uniuſcujuſque annos indicat, ſummámque ab initio hujus Epochæ ſemper colligit. Magni ſanè æſtimandus eſt iſte Canon, quippe qui maximam (poſt Sacrum) præ ſe fert authoritatem. Non ſolùm enim cœleſtibus Mathematicorum obſervationibus ſancitur; ſed etiam Sacræ Hiſtoriæ adamuſsim quadrat, & ad exoticam tranſitum (aliàs haud

[a] *Simplicius com. 46. in l. 2. de Cælo.*

haud inveſtigabilem) exhibet. Illius unici beneficio habemus continuatam contextæ Chronologiæ ſeriem. Canon hic emendatus ex D. D. Overalli codice jamdudum prodiit: nos indè, quantum ad rem erit noſtram, mutuabimur.

Κανὼν Βασιλέων Ασυρίων καὶ Μήδων.

1	Ναβοναασάρου	ιδ.	ιδ.	14
			*	26
5	Μαρδοκεμπάδου	ιϛ.	λη.	38
			*	122
16	Ναδοποπολασσάρου	κα	ρμγ.	143
17	Ναδοκολασσάρου	μγ	ρπϛ.	186
18	Ιλουαροδάμου	β	ρπη.	188
19	Νιεριχασσολασσάρου	δ	ρϟϛ.	192
20	Ναδονασήλου	ιζ	σθ.	209

Περσῶν βασιλέων.

21	Κύρου	θ	σιη.	218
	* * * * * * * * * * * *		* * *	

Siquis annos Nabonaſſaræos cum Olympiadicis, cum annis Romæ, cum Julianis, cum

annis Auguſtorum, cum Philippi, aliiſque componi deſideret, Cenſorinum adeat: Si cum Chaldaicis, cum Periodo Calippicâ, cum annis Actiacis &c. Ptolemæum. Noſtrum erit illos rebus Ebraicis ita alligare, ut utraq; coaleſcat Chronologia.

Diximus annũ Nabonaſſari CCX eſſe primum Cyri, quo ſoluta Septuagenaria Judæorum Captivitas. Jam de ſingulis (quorum in Scripturâ mentio) Babyloniæ regibus agamus. Primus occurrit Merodach[a], qui ad Ezechiam legatos miſit. Idem videtur, tàm ex ſimilitudine nominis, qnàm ratione temporis, qui, in Canone quintus rex, dicitur Mardok-Empadus, qui cœpit anno Nabonaſſari 27. id eſt ante Cyrum 183. regnavítque 12. Deſiit regare Ezechias anno Templi 295. i. e. ante Reditum è Captivitate Babylonicâ 175. regnarunt itaque inſimul annis octo. Non autem conſtat de anno, quo legati miſsi ſunt: itaque ad certiora tranſeamus.

a 2 *Chron.* 32. 31.

Poſt ſæculum, Nabuchodonoſor fuit rex Babyloniæ, qui devicto Necho Ægyptio, Jehoiakim conſtituit regem Judæ, octennio (ut refert Joſephus[b]) poſtquàm à Necho conſtitutus

b *L.* 10. *c.* 7.

tutus fuerat, & poſt triennium Jechoniam abduxit. Idem in libro[a] Juchaſin vocatur *Nebuchadnezar* (ſive Nabuchodonoſorus) *Primus*. Duos enim Nabuchodonoſoros optimè obſervarunt Rabbini[b] quidam; Primum, quẽ nominavimus, Secundum, qui devaſtavit Templum, & vocatur *Magnus*. Patrem Filiúmque fuiſſe eos è Beroſo docet Joſephus. Cùm verò nomen illud non ſit in Canone Ptolemaico, quis ſit inquirendum eſt. Joſephus Judæus, & Theophilus Chriſtianus (authores, qui de eâ re ſcripſerunt, antiquiſſimi) affirmant Beroſi Nabolaſſarum (ita enim apud Theophilum[c] legendum) eſſe Nabuchodonoſorum: Joſephus enim, quem è Beroſo vocat[d] Nabolaſſarum, ex eodem Beroſo alibi vocat[e] Nabuchodonoſorum; non mendosè, quum Ruffinus eandem retineat lectionem. Idem apud Euſebium[f] ex eodem Beroſi loco, appellatur Nabopolaſſarus, qui agnoſcitur à Ptolemæo.

Neque ſolùm antiquiſsima, ſed & veriſſima eſt hæc ſententia. Nam ſi S. Scripturæ tempora cum Nabonaſſaræis comparemus, liquidò conſtabit Nabuchodonoſorum primum,

a P. 136.

b D. Gauntz. 2 Chron. l. 2. n. 285.

c L. 3. ad Autolyc. circa finem.

d Contra Apion. p. 1044.

e Antiq. l. 10. c. 11.

f L. 9. c. 40.

mum, Magni patrem, esse ipsum Ptolemæi Nabopolassarum. Nabuchodonosori regnũ tribus illustribus characteribus insignitur in libris sacris, qui totidem sunt infractissima Chronologicæ copulæ ligamenta.

Ierem. 25. 1. *Annus primus Nabuchodonosori regis Babyloniæ fuit annus quartus Jehoiakimi regis Judæ.*

2 Reg. 24. 14, 17. *Anno octavo regni sui Nabuchodonosor deportavit Jehoiachin,* ultimo, id est *undecimo anno Jehoiakimi.*

2 Reg. 25. 11, 14. Ierem. 52. 12. Dan. 9. 3. *Anno* XIX°. *Nabuchodonosori exustũ est Templũ, & excisa Hierosolyma,* Anno XI°. Zedechiæ, cœperúntque *desolationis Jerusalem anni* LXX.

2 Chron. ult. Deinde *terra acquiescebat in Sabbatis suis; omnes dies desolationis terra Sabbatizavit usque ad complendum* LXX *annos.*

Hæc omnia cum Nabopolassari annis in Ptolemæi Canone mirificè consentiunt. Nam ab anno CCX° (quo cœpit Cyrus) LXX^us annus, sursùm putando, erit CXLI^us, qui est Nabopolassari, sivé Nabuchodonosori XIX^us & Zedechiæ XI^us, quo *terra in solitudinẽ* redacta. CXXX^us Nabon: erit Nabopolassari VIII^us, & Jehoiakimi XI^us, quo deportatus Jechonias CXXIII^us erit illius I^us, Jehoiakimi IV^us.

Ierem. 25. 9.

Duplex

Duplex erat Nabuchodonoſori hujus in Auſtrum expeditio; prima per ſeipſum geſta; quâ, debellato Ægyptio, Cœloſyriam, Phœniciam, & Ægyptum obtinuit; quibus cùm Satrapam præfeciſſet, & Tyrum *anno regni ſeptimo obſidere cœpiſſet*, rediit (Jechoniam abducens) anno regni octavo. Altera, poſt decennium penè, per filium geſta eſt; quam ex Beroſi fragmento audiamus. *Pater Nabuchodonoſorus* (aliàs *Nabolaſſarus*) *auditâ Satrapæ, quem Ægypto, Cœloſyriæ, & Phœniciæ præfecerat, defectione; quùm eſſet ipſe invalidus, tradidit Nabuchodonoſoro filio ætate valenti exercitum, qui, cum defectore congreſſus, ipſum devicit, provinciámque ad ſuum regnum retraxit.* Cum Satrapâ hoc *rebellavit Zedechias contra regẽ Babyloniæ, à quo rex fuerat inſtitutus. Obſeſſa* itaq; *ſunt Hieroſolyma à Nabuchodonoſoro rege* (venerat enim cum regiâ poteſtate, licèt pater adhuc in vivis) *anno Zedechiæ nono. Anno Zedechiæ decimo, qui eſt decimus octavus Nabuchodonoſori* (patris) fervebat *Obſidio Hieroſolymorum per copias regis Babyloniæ*, quæ capta ſunt (ut diximus) anno illius decimo nono. Poſt excidium Hieroſolymitanum, quum in Ægyptum pergeret, ſoluta eſt obſidio Tyri (quæ

*Ioſeph.p.*350, 1046.

Ioſeph.p. 1044.

2 *Reg.*25.1. 24.19.

*Ierem.*32.1,2.

*Ezech.*29.18.

(quæ duraverat annos XIII) anno patris XX°. Posthæc ergò in Ægyptum perrexit, ubi ferè biennium egit: *Interea Nabuchodonosorus pater* (Berosi verba sunt) *apud Babylonem morbo absumptus est, cùm regnasset annos* XXI (ita etiam Canon, Ruffinus, & Eusebius; non ἐίκοσι ἔνέα legunt) *Nabuchodonosorus paulò pòst auditâ patris morte, & dispositis Ægypti rebus, reliquam provinciam, atque captivos Judæorum, Phœnicum, Syrorum, atque Ægyptiacorum, quibusdam amicis commmisit. Ipse per Desertum Babylonem properavit, factúsque est Dominus totius paterni imperii.* Anno Nabonassari CXLIV.

*Ierem.*46.26.

*Ioseph.p.*349.

*Ioseph.p.*1044.

Anno Nabonassari CXLV, qui est *secundus* Nabuchodonosori, Daniel (qui jam XVI^um^ Captivitatis suæ annum agebat) interpretatus est Somnium Regis. Eodem (ut mihi videtur) anno, quem Propheta, conjungendo Patris & Filii annos (quod etiam in Rehoboami, Nadabíq; initiis suprà innuitur) XXIII^um^ vocat, Nabuzar-Adan cum captivis advenit Babylona. Cæterùm rex hic, cognomento Magnus, dehinc pacis magis, quàm belli studiis deditus, Palatium splendidissimum, hortósq; pensiles (quæ à Diodoro Siculo perperàm ascri-

*Dan.*2.1.

*Ierem.*52.30.

E Beroso Ioseph.

aſcribuntur Semiramidi) extruxit, mœnia urbis inchoavit, ſed morte præreptus, poſteris perficienda reliquit. Megaſthenes refert *in Libyam, & Iberiam, expeditiones feciſſe.* Per Libyam puto intelligi Ægyptum, de quâ ex Ezech: 29. 18. diximus: in Iberiam forsàn tranſiit, quum Niniven cum Cyaxare delerat; de quo in Aſſyriacis. Refert ad regiam reverſum illum κατασχεθῆναι θεῷ ὅτεῳ δὴ *divino furore captum*; quod ab aliis notatum eſt, eſſe illam mentis alienationem de quâ Daniel IV. 26. qui inſaniam iſtam *Septennalem* fuiſſe docet; quo tamen acciderit anno, non liquet. Si conjecturæ detur locus, putarem cœpiſſe anno Nabonaſſari 166. regni ſui 23. qui fuit annus captivitatis Jechoniæ XXXVII^us^. Nam eo anno Evil-Merodach rex benignè tractavit Jechoniam, *in anno regnandi ejus*, i.e. patris locum tenens, 20 annos antequàm patri mortuo ſuccedens, ſuo jure regnum adeptus eſt.

Ioſeph. p. 1045.

Euſeb. præp. l. 9. c. 4.

2 Reg. 25. 27. & Ierem. 52. 31

Cœpit enim anno Nabonaſſari 187, regnare Ilvarodamus (Ptolemæi) ſive Evil-Maraduchus (Scripturæ) Nabuchodonoſori ſecundi filius, quem eundem eſſe cum Balthaſare (Danielis) mihi perſuaſiſsimum eſt. Am-

bobus idem regnandi tempus, exitúſque conveniunt: Illud autem præcipuè movet, quòd *Balthaſar Nabuchodonoſori filius*, & ille viciſsim ejus *pater* ſæpiùs appellatus eſt. Occiſo Balthaſare, qui ſuit Nabuchodonoſori Magni filius, Primi nepos, impleta eſt Prophetia Jeremiæ c. 27. v. 7. *Servient Gentes Nabuchodonoſoro regi Babyloniæ, Filióque ejus, & Filio Filii ejus.* Quod autem dicitur, *Donec regnaret rex Perſidis*, [donec] de Servitutis, non de proſapiæ duratione intelligendum.

Dan. 5. 2, 11, 13 18 22. *Baruc.* 1. 11, 12. *Eſa.* 14. 22. 2 *Chron.* 36. 20.

Nam in eo deſiiſſe videtur Dynaſtia *Aſſyriorum* Babylone regnantium, primúſque *Medorum* ei ſucceſsit Nerigliſſoroor (Megaſthenis) ſive Niricaſſolaſſor (Ptolemæi) qui Nabuchodonoſori ſtirpem ſuſtulerat. Hanc regum Babyloniorum diſtinctionem præ ſe fert iſta Ptolemaici Canonis Epigraphe, Κανὼν βασιλέων Ασσυρίων, καὶ Μήδων. Cœpit is anno Nab: 193. regnavit annos 4. poſt quem filius Laboroſoarchodus puer regnavit menſes 9. qui, quia annum non impleverat, locum non adeptus eſt in Canone. Eo itidem ſublato, à Conjuratis in regnum aſſumptus eſt Nabonadius, ſive Nabonidus, ſive Labynetus,

Ioſeph. Ap. 1045.

Beroſ. Ioſ. Ap. p. 1045.

netus[a], Labyneti Babylonii (qui[b] tempore Nabuchodonosori, Lydos cum Medis reconciliavit, post Eclipsin Solis) & reginæ Nitocridis filius. Hic[c] fœdus iniit cum Crœso. Sub hoc mœnia ad fluvium à Nabuchodonosoro inchoata, à Nitocride[d] regis matre sunt absoluta, contra ingruentes Medos, i. e. Medo-Persas: Hujus anno XVII (qui est Nabonassari annus toties dictus CCX) desiit Babyloniorum regnum, captâ à Cyro urbe, & soluta est Judæorum captivitas; quũ *Deus*[e] *cœli illi dederat omnia regna terræ*; τὰ[f] πάντα τῆς ἠπείρου.

De Dario Medo, quem ut in Babylonicum Syllabum inferciant, tantoperè desudant Chronologi, dicemus in Persicis.

a *Herod. l. 1. n. 188.*
b *n. 74.*
c *n. 77.*
d *n. 185.*
e *Esd. 1. 2.*
f *Herod. l. 1. n. 177.*

De Medorum regno.

ANte Assyriaca tractabimus Medica: cùm & certiora sint, & illis lucem adferant. Brevis est horum regum elenchus, quorum historiola ab Herodoto (Historiæ patre) breviter, & dilucidè narratur. *Quum*[g] (inquit) *Assyrii superiorem Asiam obtinuissent annis* MD (non DXX, nam pro vicenario numero

g *l. 1. n. 95.*

ꝛ ſubſtituendum puto millenarium α) *primi ab eis defecêre Medi, & in libertatem ſeſe aſſeruerunt; poſt quos, idem fecerunt alii.* Defecêre primùm Medi; ſed Babylonii primò regnum conſtituerunt. Medi aliquandiu ἀυτονόμοι. Tandem *Deioces* fit eorum rex primus, anno Nabonaſſari XXXIX, qui eſt quartus Olympiadis XVII^a. Hanc Epocham ex Herodoto colligimus, licèt Olympiadibus non uſus fuerit.

L. 1. Quatuor Medorum regibus ab eo aſcribuntur anni CL. Hujus regni finis erat initium Cyri anno I° Olympiadis LV^a, anno Nabonaſſari 188. ergo cœpit anno aſsignato. Eandem penè rationem iniit Diodorus Siculus, modò

L. 2. emendetur. *Anno* (inquit) *ſecundo Olympiadis* XVII^a *ſecundùm Herodotum, Rex electus eſt* (Deioces: ita enim legendum, non) *Cyaxares*: ſicuti pòſt docebimus. Rex hic Ectabana condidit, & ſplendidiſsimis mœniis ornavit. Circa annum regni 22 videtur imperium verſùs occidentem prolataſſe uſque ad Halym fluvium, qui *Medici, Lydíque imperii terminus. Medi* enim 128 *annos Aſiæ ſupra Halym dominati ſunt, excepto tempore quo regnarunt Scythæ.* Soli tamen Medicæ genti imperavit.

Herod. l. 1. n. 72.

n. 101.

Quùm

Quùm regnaſſet annos LIII, ſucceſsit *Phraortes* filius, qui Perſas ſubegit primùm, dein alias Aſiæ gentes, donec ab Aſſyriis victus interiit, anno regni ſui XXII°, anno ſecundo Olymp. 36ª, & Nabonaſſari 113°. *Aſſyrii hi Ninum tenentes quondam omnibus imperarunt; tunc autem à deficientibus nationibus* (utpote Medis & Babyloniis) *deſerti, alioquin per ſe benè habentes.* n.102.

Succeſsit *Cyaxares* filius, qui Majoribus bellicoſior, milites Aſiaticos primus in turmas decuriavit, & equites, haſtatos, ſagittarios, promiſcuè anteà confuſos, in ſuos ordines diſtribuit. Hic collectis omnibus intra Halym copiis, Aſſyrios prælio ſuperaverat, Ninúmque obſidione tenuit, quùm ingens Scytharum exercitus in Mediam penetravit, qūibuſcum congreſſus, prælióque fuſus, amiſit imperium Aſiæ. n.103.

Scythæ univerſâ Aſiâ potiti in Ægyptum contendunt; ſed in Syriâ Palæſtinâ Pſamnitichus, rex Ægypti occurrens, muneribus, precibúſque effecit, nè ulteriùs progrederentur. n.105.

Quum Scythæ XXVIII annis imperium Aſiæ ſuperbè tenuiſſent, plerique ipſorum à Cyaxare hoſpitio excepti, & inebriati, interempti ſunt. Medi recuperato n.106.

ad hunc modum imperio, *Ninum, expugnaverunt & Assyrios subegerunt* (omnes) *exceptâ Babylonicâ portione.* (Babylonii enim, ut mox dicemus, suppetias obsidioni tulerant.) Post hæc sexennale bellum cum Lydis. Obiit Cyaxares, *quum regnasset annos* XL, *comprehensis illis quibus imperabant Scythæ.* Cyaxares Ebræis Aerus vocatur. *Cu* enim (ut ab aliis notatum est) in linguâ Persicâ *Dynastam*, vel *Principem* significat; *Axares* autem, sive *Oxiares*, est *Asuerus.*

Scalig. emend. l. 6. p. 581.

Successit *Astyages* filius (anno secundo Olymp. XLVI^{a}. Nabon: CLIII^{o}) qui cùm regnum tenuisset anos XXXV, exutus est à Cyro, anno primo Olymp. LV^{a}, Nabonassari CLXXXVIII^{o}. Ἡ δὲ Μηδικὴ ἀρχὴ καθελοῦσα τὴν Ἀσσυρίαν, καὶ μείζονα δυναστείαν περιβαλλομένη, χρόνον ὐ πολὺν κατέσχεν, ἀλλ' ὀγδόῃ τῆς τετάρτης κατελύθη γενεᾶς. Sic *Medicum imperium, everso Assyria, partam majorem potentiam diù non retinuit, sed quartâ generatione eversum est.*

Dionys. Halicarn. hist. prolegom.

De

De Assyriorum regno.

ASsyriorum Æra tum altissima est, tum obscurissima; de cujus neque capite constat, neque calce. Latissimi Imperii sedes fuit Ninus, sive Ninive; quæ tametsi esset urbs omnium, quæ unquam fuerunt, maxima, ambigitur tamen adhuc de loco ubi steterit, de tempore quando ceciderit. Nomen habuit Nini conditoris, à quo πολυχρονιότης regum Assyriorum prosapia, per 30 generationum gradus deducta, continuatâ de patre in filium serie, tandem post annos MCCC, desiit in Sardanapalo: sicut ex Ctesiæ l. 2. rectè refert Diodorus Siculus. Illud autem nullo modo concoquere possum, quod (nullo Authore) asserit *Arbacem*, post captam Ninũ, *cives in pagos distribuisse, urbem solo æquasse, multa argenti, auríque talenta in Ecbatana Medorum regiam transtuliſſe, & sic Assyriorum imperium subversum fuisse.* Sunt enim hæc vanissima ipsius Diodori παραλογίσματα. Nam ex Herodoto jam ostendimus Ecbatana non nisi ducentos post annos à Deioce primùm condita, Ninúmque

l. 2. *p.* 118. *c.* 115.

númque posteà (Assyrii adhuc imperii, *licèt eo tempore valdè imminuti*, caput) à Phraorte bello tentatam, à Cyaxare obsessam, deinde captam. Prætereà Scriptura sacra Assyriorum
2 *Reg.* 19.36. imperium, ejúsque Metropolim *Niniven* seriùs perdurasse indicat: nam & plurium Assyriorum regum, post Arbacis ætatem, nominatim meminit; & Prophetæ sacri Nahum, Sophonias, alii, post illud tempus, *Ninivitis* exitium futurum denunciant. Esaias autem expressè
c.13. id *Assyriæ* minatur à *Medis*.

Scilicet Arbaces natione Medus, post Sardanapalum, Assyriorum imperium in aliam familiam (non regionem) transtulit: nec in Ecbatanis (quæ nondum condita sunt) sed
*Oros.*2.2. in Nino regni sedem habuit. *Nini & Ba-*
*Cedren.p.*108. *bylonis regnum in Medos derivatum est.* Μήδων μὲν γένος κατὰ διαδοχὴν ἀπὸ Ἀρβάκου ἐβασίλευσεν· ἡ δὲ βασιλεία καὶ Ἀσσυρίων ἐλέγετο, διὰ τὸ εὐγενὲς καὶ παλαιὸν τῆς ἀρχῆς, καὶ τὸ τῆς χώρας ὄνομα. *Ab Arbace progenies Medica successit in regno: regnum autem Assyriorum nuncupatum est, tùm ob nobilitatẽ & vetustatem istius regni, tum ob nomen regionis.*

Qualem modò dominii immutationem (Medis Assyrios exuentibus) in Babylonico regno

regno obſervavimus, talis diù antè in Aſſyriaco contigerat. Duæ omninò fuerunt Aſſyrii imperii Dynaſtiæ ; Prima, ipſorum Aſſyriorum à Nino ad Sardanapalum ; nuda horum regum nomina ex Africano ſuperſunt. Altera Dynaſtia Medorum fuit ab Arbace ad Apandam ; quos ex Cteſiâ (qui *catalogo regum à Nino ad Artaxerxen librum ſuum clauſit*) Diodorus ad hunc modum exhibet.

In Euſebii Græcis.

Photii Bibl. p. 134.

		Aſſyriorũ regum nomina è II Regũ libro.	
Arbaces	28		
Mandauces	50	*Phul.*	
Soſarmus	30	*Teglat. Phul. aſer.*	
Artycas	50	[a] *Salman-aſar.*	a *Shalman. Hoſc.* 10, 14. *Enem-aſar. Tobit.* 1, 2.
Arbianes	22	[b] *Sennacherib.*	b Rex Arabum & Aſſyriorum. *Herodot. l.* 2.
Artæus	40	[c] *Aſar-haddon.*	c *Sar-chedon Tob.* 1, 21. *fortaſſe Sar-gon. Eſai.* 20, 1.
Artynes	22		
Artibarnas	40		
	282		
Aſtibares	00		
Apandas	00		

Nomina iſta ex Archivis Perſicis deprompta exiſtimare licet eſſe Perſica : id nobis

 ſuadet

ſuadet honorificum illud additamentum *Art*, quod linguâ Perſicâ *Magnum*, vel *Heroa* (Interpretibus Herodoto & Heſychio) ſignificat, & Perſicis nominibus præponi ſolet. Adeò ut minùs mirum ſit, ſi nomina hæc cum Aſyriis illis, quæ in ſacro contextu occurrunt, neutiquam conveniant. Neque facilis erit reconciliatio: Nec à conceptis illis annis lux aliqua. Priorum regum numeri nimiùm rotundi videntur, nullibi Hiſtoriæ S. reſpondentes. Poſteriores duo (Artynis & Artibarnæ) Herodoræis (Phraortis & Cy-Axaris) numeris (non tàm à Cteſiâ quàm à Diodoro) palàm accõmodantur. Illud autem maximè tenebras hiſce temporibus obducit, quòd duobus ultimis in hâc ſerie regibus (Aſtibaræ, & Apandæ) nulla aſsignentur regnandi tempora. In tam mancâ Æræ Aſſyriacæ ἀποσίᾳ, quid certi ſtatuere poſſumus de Epochâ Nini? quid de Arbacis? Neque ſupereſt è veteribus quiſpiam qui medelam huic plagæ adhibeat. Juſtinus affirmat *Medos regnaſſe annis* CCCL. Si inter Sardanapali Aſtyagíſque exitus (iſti autem Juſtino ſunt dominationis Medicæ termini) ſpatiũ CCCL annorũ numeretur;

L. I°.

Ecce

Ecce Epochas! Ultimus Aſtyagis annus, ſive primus Cyri, erat primus Olympiadis LV^a^, qui eſt Periodi Julianæ 4154. Deme CCCL, habes initium Arbacis, ſive ultimum Sardanapali anno Per. Jul. 3804. Deme itidem MCCC (tot Juſtinus annos dat Aſſyriis, nec in re minùs certâ diſplicet numeri rotunditas) habes initium Nini anno Per. Jul. 2504. A primo Nini ad primum Cyri numerantur anni MDCL. Juſtini hæc computatio confirmat Herodoti emendationem. Dat enim Herodotus (reſtitutus) Aſſyriis annos MD, dein Medis CL. Si quis indefinitum illius temporis augmentum, quo Medi vixerunt αὐτονόμοι, requirat; vel ex Diodoro petat, qui primæ Dynaſtiæ modò 1360, modò ſupra 1400 attribuit: vel (ſi magis placeat) Herodoto millenarium numerum, non vicenarii vice, ſed de integro reddat, tantóque elatior ſit Aſſyriorum Epocha.

Hæc de Ortu. Jam occaſum imperii inveſtigemus; cujus annum non aliter, quàm quaſi per nebulam, videre licet. Ninum à Cyaxare captam, ídq; poſt expulſos Scythas, ſuprà ex Herodoto didicimus: *deletam eſſe extemplo*

L 16.p.737.c. *postquàm capta est*, docet Strabo. Sed Ebræi excidium Niniviticum Nabuchodonosoro ascribunt. Scilicet Affines ambo (Babylonio enim uxor erat Meda) urbem junctis viribus oppugnaverunt. Hinc Josephus Assyriorum imperium *à Medis, & Babyloniis subversum dicit.* *L.10.c.6.* Et Tobiæ liber nominatim *à Nabuchodonosoro & Assuero eversam* asserit: *c.ult.v.ult.* regem autem Assuerum fuisse Cy-Axarem ostensum est. Seder Olam Rabba (meliorem authorem non habemus, qui tempus definiat) *Anno primo* (inquit c.24.) *Nabuchodonosor subegit Niniven.* *Genebrard. p. 262.* Sed nec hinc satis constat de tempore: dubium enim est de patre Nabuchodonosoro, an de filio intelligendum sit. Primus annus Patris erat Cy-Axaris X^us^: primus filii erat XXXI^us^. Chronicon Ebræum patris initium designat, quod erat annus IV^us^ Jehoiakim, Nabonassari CXXIII. Cui etiam tempori congruere videtur Tobiæ junioris ætas, si modò deportatum illum cum patre putemus. *Græc.13.v.15.* *Vixit* enim *annos* CXXVII, *& auditâ clade Niniviticâ gavisus est.* Sed neque Tobiam liquet natum fuisse ante captivitatem Samaritanam, neq; verisimile est Nabuchodonosorũ

Primum

Primum (ſaltem initio regni) excidiſſe Ninum. Propheta Nahum diras denunciat adverſus urbem Ninum, exemplo Captivitatis Ægyptiacæ: illa autem regnante Nabuchodonoſoro patre contigit. Prætereà in Expeditione illâ Hieroſolymitanâ Aſtibares (non ultimus Aſſyriorum rex) illi adfuit. Neque fuit illo adhuc tempore Cy-Axares à Scytharum jugo liberatus. Qui ex illis Prophetiæ Jeremiæ (quæ ſcripta anno quarto Zedechiæ LI.60.)verbis, *Sicut viſitavi regem Aſſur*, arguunt Ninum exciſam fuiſſe ante Hieroſolyma; intelligant id de regis cujuſpiam (puta Sennacherebi) ſupplicio, non de gentis excidio dictum. Satius eſt itaque cladem Niniviticam Hieroſolymitanæ poſtponere, & in primum annum Nabuchodonoſori magni conjicere, qui erat Cy-Axaris 31us, Nabonaſſari 144us & 1us Olympiadis 44^a. *Cy-Axares Medus ſubvertit Ninum* Olympiade præcedente, ſecundùm Euſebii χρονικόν. Iſto autem anno (qui eſt Per. Jul. 4110.) ſi imperium Aſſyriorum deſiiſſe concludamus, dicendum eſt, ſecundam hanc Dynaſtiam ab initio Arbacis ad exitum Apandæ duraſſe annos 306: quorũ 282 à Cteſiâ

c.3.v.8.

Euſeb.præp.l.9.

c.50.v.18.

(vel Diodoro potiùs) assignantur; reliqui 24 Astibaris sunt, & Apandæ. Qui supersunt de (350) Justini numero, anni 44, competunt *Medis imperantibus priusquam Cyrus regnare inciperet: Olympiade circiter* L. Undecim Olympiadibus summam rerum obtinuerunt Medi; à primo anno XLIV^{æ}, ad primum LV^{æ}; ex quo Assyrios omnes (exceptis Babyloniis) subjugaverāt; donec ipsi à Persis subjugati sunt. Tam breve fuit Medorum imperium, quàm Assyriorum diuturnum.

Plin.36.c.4.

In vetustissimis, ac penè deperditis Assyriorum rebus, his certiora non reperio.

Annotata

Annotata in Diodori Siculi locum.

Operæ precium jam erit receptiſsimam Diodori Siculi ſententiam περὶ τῆς Ασσυρίων βασιλείας; ὡς ὑπὸ Μήδων καταλύθη penſiculatè examinare, nè Scriptorem alioquin graviſsimum, totúmque veterum, & recentiorum, qui eum ſecuti ſunt, agmen audacter nimis deſeruiſſe videamur.

Diodorus Siculus l. 2. *pag.* { 83. / 118. }

ΠΕρὶ ὧν τῆς Ασσυρίων βασιλείας, ὡς ὑπὸ Μήδων καταλύθη προειρηκότες, ἐπάνιμεν ὅθεν ἐξέβημεν. ἐπεὶ δὲ (1) διαφωνοῦσιν οἱ μάλιστοι τῶν συγγραφέων περὶ τῆς μεγίστης τῶν Μήδων ἡγεμονίας, οἰκεῖον ἂν διαλαμβάνομεν τοῖς φιλαλήθως τὰς πράξεις ἱστορεῖν βουλομένοις τὴν διαφορὰν τῶν ἱστοριογράφων παράλληλα θεῖναι.

(2) Ηερόδοτος μὲν οὖν κατὰ Ξέρξην γεγονὼς τοῖς χρόνοις, (3) φησὶν Ασσυρίους ἔτη (4) πεντακόσια πρότερον τῆς Ασίας ἄρξαντας, ὑπὸ

IAm ergo, cùm de Aſſyriorum imperio, ejúſque ad Medos tranſlatione à nobis dictũ ſit, eò unde digreſſa fuit oratio, revertemur. Cùm de ampliſsimo Medorum principatu ſummi authores inter ſe diſſentiant, ab officio illorũ qui verè res geſtas commemorare volunt, haud alienũ ducimus, ſi hiſtoricorum diſcrepantias conferamus.

Herodotus ſanè, qui Xerxis tempore floruit, Aſſyrios cùm IO *annis Aſiæ imperium anteà tenuiſſent, à Medis ſubactos eſſe tradit.*

tradit : Hinc per multas ætates nullum fuisse regem qui summum imperium sibi vindicasset, civitatésque, suo quamque loco, populari sub administratione se continuisse. Tandem post multorum annorum decursum Cyaxares (inquit) vir justitiâ insignis à Medis ad regnum evectus est. Et hic primus vicinos Medis populos suæ ditioni subjunxit, summóque imperio initium dedit. Cujus posteri, subinde prolatatis in propinqua finibus, regnum ampliarunt ad usque Astyagem, quem Cyrus cum Persis bello edomuit. * * * * * *

Nam secundo decimæ septimæ Olympiadis anno (ut Herodotus tradit) rex à Medis Cyaxares electus est.

At Ctesias Cnidius, Herodoto recentior, sub expeditionem Cyri adversus Artaxerxem fratrem vixit. Captus enim tunc, &, ob artis medicæ scientiam, à rege in gratiam receptus, septendecim annos cum honore apud illum exegit. Hic è regiis mēbranis (in quibus res antiquas Persæ jussu legis cujusdam ordine

Μήδων (5) καταλυθῆναι. ἔπειτα βασιλέα μὲν μηθένα γενέσθαι τὸν ἀμφισβητήσοντα τῶν ὅλων ἐπὶ (6) πολλὰς γενεὰς, τὰς δὲ πόλεις καθ' ἑαυτὰς ταττομένας διοικεῖσθαι (7) δημοκρατικῶς. τὸ δὲ τελευταῖον ὑπὸ πολλῶν ἐτῶν διελθόντων, αἱρεθῆναι βασιλέα παρὰ τοῖς Μήδοις ἄνδρα δικαιοσύνῃ διάφορον, ὄνομα (8) Κυαξάρην· τοῦτον δὲ (9) πρῶτον ἐπιχειρῆσαι προσάγεσθαι τοὺς πλησιοχώρους τοῖς Μήδοις, καὶ ἀρχηγὸν γενέσθαι τῆς τῶν ὅλων ἡγεμονίας. ἔπειτα τοὺς (10) ἐγγόνους ἀεὶ προσκατακτωμένους πολλὴν τῆς ὁμόρου χώρας, αὐξῆσαι τὴν βασιλείαν, μέχρι Ἀστυάγους τοῦ καταπολεμηθέντος ὑπὸ Κύρου καὶ Γερσῶν. *

Κατὰ γὰρ τὸ (11) δεύτερον ἔτος τῆς ἑπτακαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος ἠρήθη βασιλεὺς ὑπὸ Μήδων Κυαξάρης (12) καθ' Ἡρόδοτον.

(13) Κτησίας δὲ ὁ Κνίδιος τοῖς (14) καθ' Ἡρόδοτον μὲν χρόνοις ὑπῆρξε κατὰ τὴν Κύρου στρατείαν ἐπὶ Ἀρταξέρξην τὴν ἀδελφὸν, γενόμενος δὲ αἰχμάλωτος, καὶ διὰ τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην ἀναληφθεὶς ὑπὸ τοῦ βασιλέως, ἑπτακαίδεκα ἔτη διετέλεσε τιμώμενος ὑπ' αὐτοῦ. Οὗτος οὖν φησὶν ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν (ἐν αἷς οἱ (15) Γέρσαι

τὰς

τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον εἶχον συντεταγμένας) πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστα, καὶ συνταξάμενον τὴν ἱστορίαν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν. φησὶν οὖν, μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν (16) Ασυρίων ἡγεμονίας, Μήδους πρῶτον τῆς Ασίας, Αρβάκου βασιλεύοντος, τὸν Σαρδανάπαλον καὶ πολεμήσαντα, καὶ δόξαν προσλαβεῖν. (17) τούτου δ' ἄρξαντος ἔτη δυσὶ λείποντα τῶν τεσσήκοντα, διαδέξασθαι τὴν βασιλείαν τὸν υἱὸν Μανδαύκλω [γρ. Μανδαύκην] ὃν ἄρξαι τῆς Ασίας ἔτη πενήκοντα· μετὰ δὲ τοῦτον τεσσαράκοντα μὲν ἔτη βασιλεύσαι Σώσαρμον, πεντήκοντα δὲ Αρτίαν, [γρ. Αρτύκαν] δύο δὲ πρὸς τοῖς εἴκοσι τὸν προσαγορευόμενον Αρβιάνην, πεντεκαίδεκα δὲ Αρσαῖον· ὃν δὴ διὰ τούτου συστῆναι μέγαν πόλεμον τοῖς (18) Μήδοις πρὸς Καδουσίους, διὰ τοιαύτας αἰτίας. (19) Παρσώδην τὸν Πέρσην, θαυμαζόμενον ἐπ' ἀνδρείᾳ, καὶ συνέσει, καὶ τῇ ἄλλαις ἀρεταῖς, φίλον τε ὑπάρξαι τῷ βασιλεῖ, καὶ μέγιστον ἰσχύσαι τῶν μετεχόντων τῆς βασιλικῆς συνεδρίου. * * *

Τῶν δὲ Μήδων βασιλεῦσαι, μετὰ τὴν Αρταίου πλοὺτὴν, Αρτυνίω μὲν ἔτη δύο πρὸς τοῖς εἴκοσι, Αρτιβάρναν δὲ μ. * * * * * *

*ordine descriptas habebant) studiosè indagavit singula, inque historicum ordinem redacta, ad Græcos transtulit. Is, post dejectos imperio Assyrios, Medos Asiæ præfuisse tradit, imperatore Arbace, qui Sardanapalum armis superavit, ut dictum est suprà. Et postquam viginti octo regnasset annos, filium ejus Mandaucem successisse quinquaginta annos Asiæ imperitantem. Post hunc annos triginta regnasse Sosarmum, quinquaginta Artiam, viginti duos Arbianen, quadraginta Arsæum. Hujus tempore ingens bellum Medis cum Cadusiis conflatum memoratur; idque has ob causas. Parsodas quidam Persa in admiratione erat ob fortitudinem, prudentiam, aliásque virtutes, & regi percharus, ac præ aliis in regio Senatu maximè pollebat * * * * * * *

Medis autem post Artæum præfuit Artynes ad viginti duos annos, post Artibarnas 40.

* * * * *

Hinc Astibarâ Medorum rege per senii infirmitatem extincto in Ecbatanis, filius ejus Aspandas, (quem Astyagem Græci vocant) regnum accepit. Eo Cyri Persæ armis oppresso, ad Persas imperium devolutum est.

Ασιβάρα δὲ τοῦ βασιλέως τῶν (20) Μήδων γήρᾳ τελευτήσαντος ἐν (21) Εκβατάνοις, τὴν ἀρχὴν (22) Ασπάνδαν [γρ. Απάνδαν] τὴν υἱὸν διαδέξασθαι, τὴν ὑπὸ τῶν (23) Ελλήνων (24) Ασυάγην καλούμενον. τούτου δ' ὑπὸ (25) Κύρου τοῦ Πέρσου καταπολεμηθέντος, μεταπεσεῖν τὴν βαλείαν εἰς Πέρσας.

De Herodoti, Ctesiæque discrepantiâ.

1. Διαφωνοῦσιν] Nihil mirum est diversa narrari à Scriptoribus, quibus omninò diversa sunt proposita: non est hoc διαφωνεῖν: Sed mirum est Diodorum, nusquam concurrentia, παράλληλα θεῖναι, & authores minimè inter se discordes componendo, plusquàm Cimmerias hisce temporibus obduxisse tenebras.

2. Ηρόδοτος] Nisi superesset nobis Herodotus, actum esset de Medorum historiâ: nam Herodotæa quæ nobis obtrudit Diodorus, planè non sunt Herodoti, & videntur potiùs ex imperito aliquo excerptore, quàm ex ipso fonte deprompta.

3. Φησὶν]

3. Φησὶ.] Non modò ipſa Herodoti verba non recitat Diodorus; ſed etiam res ab illius mente longè alienas recenſet.

4. Πεντακόσια.] Neque millenarius numerus, neque vicenarius hîc agnoſcitur: utrum horum omiſerit Diodorus, neſcio: veriſimile eſt τὸ α omiſſum, τὸ κ à ſciolo quodam fuiſſe ſubſtitutum.

5. καταλυθῆναι] Quantum hoc ab Herodoti mente! Πρῶτοι (inquit ille) ἀπ' ἀυτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι. non deletos à Medis Aſſyrios, ſed ab Aſſyriis Medos primùm defeciſſe dicit: Novi regni fundamenta narrat, non excidiũ veteris: Non Medi cujuſpiam perduellionem, ſed totius Gentis defectionem. Videtur exiſtimaſſe Diodorus Arbacem, Deiocémque, unum eundémque fuiſſe, non aliter quàm Apandam, & Aſtyagem: Illi primi, hi ultimi in Herodoti Cteſiæque catalogis.

Joſephus κατάλυσιν Aſſyriorum ad Merodachi Babyloniorum regis tempus refert. Si Deiocem intelligat (cujus initium in id tempus incidit) ἀνιστορία eſt; ab illo Ninus non fuit ſubverſa; Si Cyaxarem (à quo deleta urbs fuit) ἀναχρονισμὸς cenſendus eſt. *Lib. 1. c. 3. & 6.*

6. Πολλὰς γενεὰς] Herodotus diuturnitatem temporis non exprimit: neque verisimile est multas ætates, inter assertam Medorum libertatem, regísque electionem, intercessisse. *Post Medorum defectionem* (inquit Herodotus) *aliæ nationes idem fecerunt*; eorum (ut videtur) inductæ exemplo: Id de Babyloniis intelligere est; adeò ut Medos liberos putarem non multùm ante Nabonassarum, qui 38 annis tantùm prior erat Deioce.

7. Δημοκρατικῶς] Popularis in civitatibus Medis regiminis Herodotus non meminit. Εόντων inquit ἀυτονόμων πάντων [Medi] ἀπωσάμενοι τὴν δουλοσύνην ἠλευθερώθησαν, excusso Servitutis jugo, liberi, ἀυτόνομοι fiunt.

8. Κυαξάρην Somniaverat Diodorus, se ex Ctesiâ didicisse, Ninum destructam fuisse à primo Medorum rege: Apud Herodotum, Ninum reperit à Cyaxare captam, penultimo Medorum rege. Ut fiat aliqua hujus discrepantiæ conciliatio, visum est Diodoro Herodotum Ctesiæ (quem præfert) accommodare, ac eversorem Nini in primum locum promovere. Hinc fit ut, quæ de Deioce narrat Herodotus, omnia Cyaxari (etiam sub Herodoti nomine) ascribat Diodorus.

9. Πρῶ-

9. Πρῶτον] Cyaxares Herodoto eſt tertius Medorum rex: Primo regi ὄνομα τῷ Δηιόκης: uterque tamen Phraortis filius fuit. Phraortes rex Phraortis privati nepos erat: Cyaxares autem non electione rex factus eſt, ſed hæreditario jure patri, avóque ſucceſsit.

10. Ἐγγόνους] Peſsimè hæc conveniunt Cyaxari, cujus filius erat Aſtyages. Si filius finem imperio dederit, cui principium pater; ubi continuata iſta à poſteris imperii prolatatio? Sed oportuit Diodorum, qui patrem in primi regis, ſive Arbacis tempora evexerat, filiúmque, ultimum, ſive Apandam fuiſſe pronunciarat, longam 300 annorum progeniem interponere.

11. Δεύτερον] Annum hunc ex collectis Herodoti numeris ſuâ computatione elicuit Diodorus, non multùm à vero; ſi modò primo Medorum regi Deioci attribuatur. Quàm minimè autem quadrat hoc tempus cum Cyaxaris initio, ſenſit vir ſummus, qui pro Olympiade ιζ, λζ legendum cenſuit: Sed conjectura iſta non adeò firma eſt, ut ſuper eam extruatur alta Aſſyriorum Epocha. *Scalig. in fragm. p. 42. Can. Iſag p. 314.*

12. Ἡροδότου] Στοιχείωσις hæc inconſultè imputatur

putatur Herodoto, qui nullibi certum Olympiadis ullius annum designat. Computatio autem (sicut suprà ostendimus) non malè instituitur.

Vidimus quàm parùm candidè Diodorus obfuscat Medorum historiam, quam Herodotus (ut est non modò vetustissimus, sed & politissimus Historicus) perspicuè & concinnè tradiderat. Has tenebras nè Apollo quidem nobis discussisset, nisi ipsum inspexissemus Herodotum, qui primus solúsque asseruit Medorum Chronologiam.

13. Κτησίας] Si Ctesiam itidem haberemus integrum, vel saltem 6 illius libros priores: aut si Abydeni Assyriaca (quem librum in Italia Ms. adservari refert Scipio Tettus) in lucem prodirent, multò certius iniremus de sequentibus judicium. Veruntamen satis constat Ctesiam (qui parallelus confertur cum Herodoto) toto genere ab Herodoto dissidere: neque est illa opinionis, verborúmve, sed instituti, materiæque discrepantia. Alia sibi proposuit narrare Herodotus, alia Ctesias. Scripsit ille Medica, hic Assyriaca: ille novi regni primordia, Ecbatanis constituta; hic

hic antiquiſsimi regni immutationem, quæ Nini olim contigerat: ille 4 regum ſeriem deducit, hic 10: ille à 17ª Olympiade, hic ab altero ante Olympiadas ſæculo exorſus eſt: ille aſſurgentis, hic labentis imperii meminit. Nec minor eſt in Regum nominibus, quàm in rebus diſsimilitudo. Denique in totâ amborum narratione, nihil eſt quod invicèm aliquam offert ſimilitudinis ſpeciem, præterquàm quòd primi utrinque reges ex eâdem gente orti ſint. Erat enim Natione Medus Arbaces, qui, exuto Sardanapalo, Aſſyriorum regnum ſibi, poſteríſque, adeptus eſt. Nec non Deioces Medus à Medis rex factus eſt.

14. Καὶ Ἡρόδοτον] Non eſt negandum Cteſiam Herodoti ſæculo vixiſſe: Herodotus initio Belli Peleponneſiaci, 53 annos natus, hiſtoriam poſteà ſcripſit. Nam ejus belli meminit. Cteſias anno 30 poſt initum illud bellum militabat in expeditione Cyri. *A Gellius* 15. 23. *L.7. c. 137. L.9. c.72.*

15. Οἱ Πέρσαι] Scripſit Cteſias Perſica libris 23; quorum ſex priores erant prolegomeni, qui (ut ex Photio diſcimus) continebant Aſſyriaca, quæque res Perſicas præceſſêre. Strabo diſtinctè, Κτησίας ὁ ἰατρεύσας ἐν *Geogr. l.14.*

Αρτα-

Αρταξέρξην, συγγεγράφας δὲ τὰ Ασσυριακὰ, καὶ τὰ Περσικά. Ad ſex iſtos libros διαφθέσεις has Perſicas parùm contuliſſe puto. Sed & illud notatu dignum eſt, ſub Aſſyriacorum titulo tractari etiam quæ poſt Sardanapalum ſecuta ſunt. Nam ſi illa Medorum geſta exiſtimanda fuiſſent, certè tot regum, tantíque temporis hiſtoria innominata non præteriiſſet.

16. Ασσυρίων] Hallucinatus eſt Diodorus, cùm καταλύσιν hanc Aſſyriacæ dominationis, de excidio Nini, & in Ecbatana tranſportatione, intellexerit. Sed de iſtâ re ſuprà diximus.

17. Τότε δὲ] Medo-Aſſyriorum regum chronologiam etiam ſuprà tractavimus.

18. Μήδοις] Quomodo fieri potuit? ſaltem civile dicendum eſt hoc bellum. Ipſi enim Caduſii ſunt Medorum populus ad Euxinum. Sed Diodorus, ex quo Ninivitarum diſperſionem ſibi imaginatus eſt, ſubinde Aſſyrios Medorum nomine appellat.

19. Παρσώδην] Parſodam hunc (Cteſiæ) eundem eſſe cum Deioce (Herodoti) valdè ſuſpicor: uterque Medos ad libertatem vindicandam ita erigit, ut ad priſtinam obedientiam nunquam redacti ſint; uterque victoriam obtinet;

obtinet; uterque à Medis rex electus est. Sed & tempus apprimè convenit: 20us Arsæi annus (quo electum supponimus Parsodam) erat 200us à Sardanapalo, 150us ante Cyrum. Ab initio itidem Deiocis ad finem Astyagis numerantur ab Herodoto anni 150.

20. Μήδων] Astibarem hunc (pari errore) Medorum regem appellat Alexander Polyhistor; qui eum ad commilitium à Nabuchodonosoro (patre) invitatum scribit, cùm Hierosolyma, Judæorúmque Joacimum vivum cæpisset. Sed Astibares (sicut ostendimus) Assyriorum rex fuit; regnabat eo tempore Cyaxares in Mediâ; neque ulla est, in libris sacris Medorum mentio, ad expeditionem istam: Assyrios autem (qui Syri sæpenumerò dicti sunt) Aramæorum nomine (2 *Reg.* 24 2.) subintelligi putarem; ut & *Jerem.* 35. 11. *Euseb. præp. l. 9.* *Strab. 737.*

21. Ἐκβατάνοις] Si de ultimo rege hoc dictum esset, putarem illum (excisâ Nino) captivum à Cyaxare abductum, obiisse extorrem. Sed aliter se res habet; est enim hoc nihil aliud quàm feracissimi erroris germen. Diodorus qui regem hunc in Ecbatanis regnasse credidit, ibidem illum mortuum esse finxit.

22. Απάνδας] Apandas hic ultimus erat regum Assyriorum, cujus tempore (ut videtur) Ninus, antiquissimi imperii sedes à Cyaxare Medorum rege capta, & *extemplò deleta est*.

Strab. l. 16. p. 737. c.

23. Ελλήνων] Neminem neque Græcum neque Latinum ità sensisse ante Diodorum affirmare ausim: post Diodorum autem plurimi. Et mirum sanè est, quàm continuatâ erroris propagatione, commentum hoc Diodori toti Chronologorum genti imposuit. Eusebius (omitto recentiores) hâc authoritate innixus, cæcâ licentiâ divagatur: Medorum principum seriem *sine principibus* instituit: ad libitum reges elevat, & deprimit: Mandaucem (Ctesiæ) excludit: fictitia Medidi, Cardiceæq; nomina inserit: denique à Ctesianâ serie in Herodotæam totus prosilit. Alii alia excogitarunt.

n. 1207.

v. Euseb. Græc. p. 38.

24. Αστυάγην] Diversissimas esse Herodoti Ctesiæque historias ex dictis satis constare speramus. Diodorus autem dum utrorumque historiam re eandem, verbis tantummodo diversam existimavit, ut sint omnia germana & concoloria, & ut nominalis illa τῶν συγγραφέων διαφωνία concorditer se habeat, ultimum Herodoti

doti regem, ultimúmque Cteſiæ, eundem fuiſſe aſſerere auſus eſt; cùm tamen Aſſyrium Apandæ regnum deſierat antequàm Medis imperaret Aſtyages.

25. Κύρ8] Ex eâdem figulinâ etiam hoc; quod, ſi de Apandâ intelligatur, falſum eſt; ſin de Aſtyage, verum. Apandas Aſſyrius à Cyaxare Medo exutus eſt; Cyaxaris autem filius Aſtyages à Cyro Perſâ.

IN tribus his (de quibus diſſeruimus) regnis; Ninive, Ecbatanis, & Babylone poſitis, trifariam à Medis regnatum eſt. Sed & aliud adhuc videtur fuiſſe Medorum regnum, cujus Suſa erant aliquandiù Regia, in quod Cyrus etiam, non tamen vi & armis, ſed hæreditario quodam jure ſucceſsit. De iſto inquiramus.

De Regno Perſico.

NUlla reperitur in Hiſtoriâ Sacrâ Perſarum mentio ante Captivitatem Babylonicam: Primus meminit eorum Ezechiel inter bellicoſas gentes recenſens, quum nondum innotuerant res Cyri: nam illius demùm ævo perquàm obvium id nomen. Illud autem conſideratione dignum eſt, quî fit, ut in libris Danielis, & Eſtheris toties Medi cum Perſis, Perſæ cum Medis conjungantur; quaſi fuiſſet aliqua inimiciſsimarum nationum reconciliatio, aut regnorum duorum ἕνωσις, cujus nulla extat in hiſtoriâ memoria. Phraortes Medus primus ſubegit Perſas; Cyrus Perſa ſubegit Medos. Defecerant autem Perſæ à Medis ante Cyrum, καὶ πάλαι δεινὸν ποιούμενοι ὑπὸ Μήδων ἄρχεσθαι, *Jampridem dedignati parere Medis.* Cyrus vulgò exiſtimatur primus Perſarum rex: ſed in dubium id vocat Scholiaſtes Ariſtophanis, qui (de Statere Perſico verba faciens) Οἱ Δαρεικοὶ (inquit) οὐκ ἀπὸ Δαρείου, τοῦ Ξέρξου πατρὸς, ἀλλ' ἀφ' ἑτέρου τινὸς παλαιοτέρου βασιλέως ὠνομάσθησαν. Nullus erat Darius inter Cyrum,

C. 27. 10. & *C.* 38. 5.

Herod. p. 55.

In Εκκλησ. *p.* 498. *v.* 38. *am.* 5. & *Suidas in* Δαρ.

Cyrum, & Hyſtaſpis filium; fuit ergo ejus nominis rex aliquis Cyro antiquior. Duos reges in regno Perſico anteceſsiſſe Cyrum docet Æſchylus, qui in regum enumeratione Cyrum *tertium* recenſet. Locus eſt in hanc rem eximius, & apponi dignus; tum quia parùm hactenùs animadverſus, tum quia initia Monarchiæ Perſicæ (vix alibi legenda) indicat. In Perſis itaque ſub perſonâ Darii Hyſtaſpis, cui coætaneus, contráque quem pugnavit ipſe Marathone, ſic effatur.

Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ,
† Τὸ δ' ἄστυ Σύσων ἐξεκείνωσε πεσόν.

Hunc verſum hoc loco reponit magnus Scaliger. *Emend. l. 6. p. 590.*

Ἄλλος δ' ἐκεῖνο παῖς τὸ δ' ἔργον ἤνυσε,
Φρένες γὰρ αὐτῷ θυμὸν οἰακοστρόφων.
Τρίτος δ' ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος, εὐδαίμων ἀνὴρ,
Ἄρξας ἔθηκε πᾶσιν εἰρήνην φίλοις, &c.

Medus erat primus Dux exercitus,
Urbem autem Suſorum evacuavit cadentem.

Alter ejus filius opus perfecit.
Mens enim ejus animum gubernabat.
Tertius *ab illo* Cyrus, *fœlix vir,*
Imperans tribuit omnibus amicis pacem.

Reliquos (qui deinceps regnarunt) uſque ad Xerxem, ordine nonum, recenſet. Et ſatis hiſtoricè ſunt iſta à Tragœdo dicta; in quibus duo ſunt notatu digniſsima. Primò, Medum fuiſſe primum Perſarum regem; Deinde, Suſa fuiſſe ab illo vaſtata, à filio reſtaurata.

Sed quis eſt ille Medus, imperii Perſici fundator, cujus nemo veterum, recentiorúmve uſpiam meminit? unúſne ex dictis quatuor Mediæ regibus? non puto. Phraortis in Perſas imperium non erat regni Perſici inſtitutio, ſed Medici prolatatio; non libertatis Perſicæ, ſed ſervitutis initium. Neque ſuſpicari poſſumus Cyaxarem, qui Aſſyriam armis adeptus eſt, amiſiſſe Perſiam. Veruntamen non levis eſt ſuſpicio, initia Perſica in illius tempus incidiſſe, ſicuti mox dicetur. De Aſtyage major adhuc eſt dubitandi anſa. Nam Cedrenus (aliunde forſan edoctus) affirmat Aſtyagem Cyri avum

avum nominatum fuiſſe Darium Medum, Μῆδ Δαρεῖ καὶ Ἀστυάγης ἐλέγετο: πάππ ὃν ἦν Κύρ. Et Chronicon Alexandrinum, Darium dici Aſtyagem. Quum autem duo ſint ejuſdem ævi Aſtyages, unus Herodoto, qui Cyaxaris filius, & Medorum rex ultimus; alter Xenophonti, qui Cyaxaris (alterius ſcilicet) pater, & Mediæ (alterius tamen) rex (forſan) primus; Xenophontæo Aſtyagi Darii Medi nomen potiùs competit. Recenſet Xenophon duos Cyri prædeceſſores, Aſtyagem, & Cyaxarem: Æſchylus item duos, Medum, ejúſque filium. Si Medus ſit Aſtyages (ut vult Cedrenus) neſcimus quis fuerit ſecundus ille Æſchylo anonymus) Perſarum rex.

P. 142.

Olymp. 48.

Verùm Xenophonti Aſtyages, & Cyaxares, ſunt Mediæ reges: Eſto. Non autem de Magnâ Mediâ intelligendū, cujus regia erat Ecbatanis; nullus ibi poſt Aſtyagem regnavit Cyaxares: ſed de Elymaide, ſive Perſicâ illâ Medici regni parte interpretari licet; ubi Medus ille (ſive Darius is nominetur, ſive Aſtyages) novum regnum erexerat; teſtamento paterno, an defectione, an Scythicæ incurſionis occaſione, incertum. Primi Perſarum reges erant nati-

one

one Medi, unde regio ipsa (priùs Medicæ ditionis) Xenophonti & Josepho *Media* dicta est: populus autem in libris Danielis, & Estheris, passim *Medi & Persæ*, vel *Persæ & Medi* (utrumque dicitur) quod ego vertendum opinor, *Perso-Medi*, & *Medo-Persæ*: Sic Suidæ Zoroastres Περσο-Μήδης dicitur. Ebræis enim ἓν διὰ δυοῖν proferre usitatissimum est; & cùm compositas voces vix ullas habeant, coguntur uti circumlocutione. A Cyro demùm (natione Persâ, & victoriis inclyto) Persarum nomen obtinuit. Hinc est intelligere quod Strabo tradit, Medos Persis ἀρχηγέτας esse; ostendens plenissimè eadem esse Persarum instituta, quæ olim Medorum.

Vide l. 11. p. 525. d.

De his Perso-Medis regibus accipienda puto vaticinia illa Prophetarum contra Babylonem. Isa. 13. 17. *Excito contra istos Medum.* 21. 2. *Ascende Elam, obside Madai.* Elam est Persis, & conjungitur cum Mediâ, ut & c. 22. v. 6. *Elam sumpsit pharetram, & Kir eduxit clypeum* (Kir est Media 2 Reg. 16. 9.) etiam, Jerem. 25. 25. *Regibus Elam, & Regibus Mediæ,* idem fatum. De hoc regno intelligendum illud, *Ponam solium meum in Elam*; id est solium regum à me

Ier. 49. 38, 39.

à me electorum ad perdendam Babylonem, & *reducendos captivos Elam*, ſive Judæos in Perſide exulantes. Prædictum hoc fuit initio regni Zedechiæ: unde colligi poteſt regnum hoc etiam regnante Cyaxare extitiſſe: Cui aſtipulari videtur Hieronymus referens *Scythas ſub Dario rege Medorum orientem tenuiſſe captivum*: & Suidas, qui *Thaletem ſub Dario ſolis eclipſin prædixiſſe* refert: utraque autem in Cyaxaris tempus confert Herodotus. Non fruſtrà ſunt Judæi, qui in hâc Prophetiâ duos reges innui putant, Darium Medum, & Cyrum. Neque ſine cauſâ, nam v. 11. *Suſcitavit Dominus ſpiritum regum Medorum*, & v. 28. *Expedite in eam reges Mediæ.* Non ab uno rege, non uno tempore impletæ ſunt diræ in Chaldæos. *Arietis* (id eſt *regum Medo-Perſarum*) *duo cornua*; *unum altius altero*; *quod altius* (Cyrus) *aſcendit poſteriùs*, id eſt poſt Darium. Primùm Suſa capta ſunt à Medo (ut ex Æſchylo didicimus,) & Chaldæi totâ Suſianâ multati ſunt: quod non obſcurè etiam indicat Propheta, v. 31. *Curſor occurret curſori, nuntius occurret nuntio, ad narrandum regi Babylonis captam eſſe urbem ejus à fine*, vel *ab extremitate*, id eſt extremam, vel in confinio

V. 34.

In Epitaph. Fabiolæ.

In Θωμ.

Cap. 51.

Dan. 8. 3, 20.

v. 32. regni positam: *& transitus occupatus est, & paludes combusserunt igne.* *Transitum* appellat Castrum Susianum, quod erat orientale regni Babylonici propugnaculum: *paludem* autem, sive *arundinem* appellat, quia stabat in aquâ. *Susianem* (inquit Plinius) *ab Elymaide disterminat amnis Eulæus; circuit arcem Susorum*: Daniel itidem *Castrum in Susis* (ubi reges Medo-Persidis arietantes vidit) collocat super *Eulæi portam* v. 2. vel *paludem* v. 3. ut est in vulgatâ: utrobique enim eadem est vox Ebraica. Porrò illius victoriæ eventum indicat Jeremias: *Cessaverunt fortes Babylonis à prælio, habitaverunt in præsidiis, deficit eorum fortitudo, (pavidi) sunt quasi mulieres: incensa sunt tabernacula ejus, fracti sunt vectes ejus.* *Vectes* sunt portæ (quas diximus) regni: *Præsidia* sunt Euphratis loca à Nitocride munita, quæ Εἰργάζετο τῆς χώρης τῇ ἄι τε ἐσβολαὶ ἦσαν, καὶ τὰ συντομα τῆς ἐκ Μήδων ὁδοῦ, ἵνα μὴ ἐπιμισγόμενοι οἱ Μῆδοι ἐκμανθάνοιεν αὐτῆς τὰ πρήγματα. *Quæcunque erat regio ad invadendum opportuna, & compendiaria ex Medis via, hanc intersepsit, ne Medi commercio ipsius negotia cognoscerent.* Temporis diversitatem, quo Susa primùm, dein Babylon capta fuit, ostendit: *Filia Babylonis quasi*

L. 6. *c.* 37.

C. 8. *v.* 2.

C. 51. *v.* 30.

Herod. l. 1. *c.* 185

v. 33.

quasi area; venit *tempus trituræ ejus : adhuc modicum*; *& veniet tempus messionis Ei*, Babyloni. De Susis loquitur historicè, tanquam de præterito; de Babylone propheticè. Neque aliter forsan paulò post, v. 41. *Quemadmodum capta est Sesach, etiam comprehendenda est inclyta universæ terræ*, urbs Babylon. Sesach vel potius Susach hîc, (& c. 25. v. 26.) videtur idem esse, diversâ dialecto, quod (Danieli 8. v. 2.) Susan: non ipsa Babylon, sed filia Babylonis; nempe Susa urbs Babyloniæ secunda, à Medo excisa, à filio restaurata; ubi Οἱ Πέρσαι κρατήσαντες Μήδων, καὶ ὁ Κῦρος ἔθεντο τὸ τῆς ἡγεμονίας βασίλειον. *Addito tertio puncto ut fiat Kibbuts.* *Strab. p. 727 d.*

Paulatim deinceps inolescere Persarum nomen, Medorum exolescere cœpit: veruntamen non prorsùs desuevit; nam Herodoto bellum Xerxis *Medicum* vocatur; & Græci passim Persas *Medos* dicunt, & μηδίζοντας, eos qui Persis studebant.

Istæc Jeremias: Ezechiel itidem *Elam* meminit c. 32. v. 24. etiam (utpote Jeremiâ aliquantò junior) *Para*, c. 27. v. 10. & c. 38. v. 5. Madai autem nuspiam meminit.

Sed Danieli frequens est Medo-Persarum mentio: Scilicet Daniel non tantùm sub Babylonico

bylonico, ſed etiam ſub Medo-Perſico imperio vixit. A Nabuchodonoſoro primùm præpoſitus fuit Magis Chaldæis : dein *Portæ regis*; quæ erat telonium (ni fallor) Suſianum, *ad portam Eulæi.* Suſa à Medo capta ſunt teſte Æſchylo. Sic *fractum eſt regnum* Chaldaicum, *& datum Medo Perſis*; pars Dario, pars deinceps Cyro. *Darius Danielem ad ſeſe perduxit in Mediam:* ibi evenerunt ea, quæ narrantur cap. 6to. teſte Joſepho. Illius regni Triumvir factus eſt, *& floruit Daniel, ſub regno Darii, & ſub regno Cyri Perſæ.* Reſtauratis Suſis (quum jam eſſent Perſidis Metropolis) viſa ibi divinitùs oblata ſunt Danieli. *Eram* (inquit[a] ipſe) *Suſis, in regione Elam.* Videntur itaque Suſa (olim Babylonicæ ditionis) tunc temporis Medo-Perſiæ regi ſubjecta fuiſſe. Anteà diſtinctæ erant gentes *Suſancæi* & *Elymæi*, ut in coloniæ Samaritanæ[b] cenſu apparet; poſteà Suſa Perſidi accenſentur à Daniele, a[c] Strabone, a[d] Benjamino Tudilenſi. Erat annus viſionis iſtius Balthaſari cæde inſignis, in quo, poſt viſionem, Daniel Babylonem adventaſſe videtur. Erat enim[e] *in regno* Babylonico, imò in ipſâ urbe. Nam[f] *in illa nocte*, quâ *Balthaſar rex Chaldæorum occiſus eſt*,

C. 2. v. 49.

Dan. 5. 28.

L. 10. c. 12. p. 352. b.

C. 6. v. ult.

a Dan. 8. 2.

b Eſdr. 4. 9.
c p. 727 d.
d In Itiner.

e Dan. 5. 11.
f v. 30.

eſt, [g] *Daniel accerſitus eſt &* [h] *adductus coram rege.* De Suſis accerſitum vix credas. [i] *Diſtabant* enim *Suſa à Tigri* (ad quem Babylon) CCX. *ſtadiis,* vel [k] *unius diei itinere.*

Inde forſan evenit, ut viſio iſta, licet in Elymaide contigerat, Babylonici regis anno notetur a Daniele [l]. Denique Suſis ſepultum fuiſſe Danielem teſtatur [m] Benjaminus Tudilenſis.

Vidimus quo pacto *Darius filius Aſſueri de ſemine Medorum* ἐβασιλεύθη ὑπὲρ ἀρχῆς Χαλδαίων *regnavit ſuper regnum Chaldæorum;* quomodo Babylonicæ ditionis territorio Suſiano potitus eſt.

Quòd autem *Darius Medus ſuſcepiſſe regnum* dicitur; id de Medo-Perſico, non de Babylonico regno, nec de regni inauguratione, ſed de rationibus fiſci conſtituendis intelligendum puto. Nullum eſt uſpiam, nec in ſacris, nec in exteris ſcriptoribus, Darii Medi Babylone regnantis veſtigium. Nam ſucceſsionis argumentum ex dicto Danielis loco petitum, ideò quòd in proximè præcedentibus de cæde Balthaſari ſcripſerat, omninò nullum eſt: nec quicquam, vel ſucceſsionis, vel electionis, ſa-

g *v.* 12.
h *v.* 13.
i *Herod. l.* 6.
k *Diodor. l.* 19.
l *c.* 8. *v.* 1.
m *Itiner. p.* 152.
Dan. 9. 1.
Dan. c. 5. *v. ult.*

piunt verba iſta. Simili argumento Balthaſar Cyro ſucceſsiſſe dicatur, quia *regnum Cyri Perſæ* claudit caput 6. & caput 7. incipit ab *Anno primo Balthaſari.* Rectiùs verba iſta, in editione Junii, capiti ſexto præfiguntur: ſequentis illic hiſtoriæ introductio ſtruitur, non concluſio præcedentis. *Vau* hîc non eſt copulativum, ſed Exordii nota; ut in principio Ezechielis, & libri Ruth. Duæ ſunt iſtius libri partes; priora VI capita ſunt hiſtorica, poſteriora VI prophetica: utrobique Daniel quid ſibi contigerat, primùm ſub regibus Babyloniis, deinde quid ſub Medo-Perſicis, tradit. In hoc loco narratis rebus Babylonicis, tranſit ad Medo-Perſicas.

c. 5. v. 1. *Darius* (inquit) *Medus ſuſceperat regnum* Medo-Perſidis; & cùm eſſet ætate provectus, nimirum LXII *annos natus*, *placuit Dario* CXX 2. *præfectos* ſive procuratores Regis *conſtitui per* 3. *totum regnum. Supra iſtos autem tres Tribunos* ærarii, *quorum Daniel primus, quibus procuratores rationem reddituri eſſent, ne rex damnum pateretur.* Invidiâ moti reliqui, accuſationem contra Danielem fruſtrà quærebant, *propterea quòd fidus eſſet, &* 5. *nullus error, aut vitium inveniretur in eo,* dum rationes

ones regni ab ipsis procuratoribus ex authoritate regis exigeret. Illi itaque *interdictum* impetrant à Dario *secundùm jus Medo-Persarum. Daniel autem*, à leonibus illæsus, *prosperè egit in regno Darii, & in Regno Cyri Persæ.* Secundi Medo-Persarum regis idcirco forsan non meminit Daniel, quòd nulla sub eo contigisset visio. 29.

Neque est verisimile Dario, bellicosissimo regi, LXII^um. ætatis annum fuisse regni sui primum. Vectigalia ampliavit senex, imperium juvenis.

Sed nec iste primus Darii annus, quo Danieli prædictus est Hebdomadarum numerus, intelligi videtur χρόνος πλάνος de tempore, quo regnare cœperat; sed ad illud tempus restringitur quo regnare cœperat *super Regnum Chaldæorum*; quod, Susis occupatis, primùm contigisse ostendimus. At verò annus iste Darii primus, quando fuerit, quandóve Danieli obtigerit Hebdomadarum visio, in obscuro est: nec scio an aliunde investigari possit, quàm ex ipsis Hebdomadibus: De quibus, ut liberius ineamus judicium, liceat (in mantissâ) earum examinare chronologiam.

De

De Hebdomadibus Danielis.

QUatuor omninò ſunt Danielis viſiones: Primam, Secundam, Quartam de Antiochi Epiphanis temporibus intelligunt ferè omnes, qui de eâ re ſcripſerunt, poſt Joſephum. Tertiam viſionem (hîc enim Χριστὸν occurrit nomen) ut in rem Chriſtianã attraherent, nullum non moverunt lapidem Chriſtiani, poſt ſecundum ſæculum, quotquot de Hebdomadibus commentati ſunt, non ſine magnâ ſententiarum diſcrepantiâ, magnâ torturâ temporum. In receptiſsimâ Chronologiâ (ut omittamus cæteras) duriuſculum videtur, Zorobabelis, Joſuæque vitas (qui non tantùm Reditui, ſed etiam Templi reædificationi præfuerunt) ultra ſæculum poſt Reditum prolongari; non aliam ob cauſam, quàm ut optatam metam pertingat Hebdomadarum continuatio. Mihi, rem totam ponderanti, in mentem venit, viſiones haſce ejuſdem eſſe generis omnes, mutuámque ſibi invicem lucem afferre. Idem Angelus ſæpiùs apparuit, eædémque res (paulatim diſtinctiùs) iterùm iterúmque

L. 12. c. 11. pag. 415. f.

que Danieli oſtenduntur. Viſionum omnium idem penè eſt ſubjectum; poſterior quælibet præcedentis eſt quaſi ἐπεξήγησις: quæ priùs breviter, deinceps particulariùs, & clariùs explicantur. Quòd innuitur IX. 21. & XI. v. 2. Sed ut illuceſcat hoc, & in confeſſo ſit, Tertiam ſigillatim expendemus viſionem.

Annotata ad Caput IX *Danielis.*

Anno primo Darii] TOtius negotii cardo eſt Hebdomadarum Epocha. Tertullianus Patrum, qui Prophetiam hanc Judæis intorſerunt, antiquiſſimus, *A primo* (inquit) *anno Darii debemus computare, quando hanc vidit viſionem Daniel*: perperàm tamen viſionem hanc ſub initium Darii Nothi, id eſt CXV annos poſt ſolutam captivitatem, oſtendi putat. Darium Medum fuiſſe nullus dubito. Sed de Darii hujus initio quid ſtatuere poſſumus? Incidit id in tempus viſionis: viſio hæc Danieli obtigit poſt *orationem & jejunium.* De orationis, atque jejunii ſui diuturnitate ipſe Daniel locutus eſt, *Adverſ. Judæos.*

c. 10. v. 3. *Luxerat Daniel tribus dierum ſeptimanis*, vel XXI *diebus* v. 13. Qui ſunt ſymbolicè totidem anni. Nam, ut *dies pro anno* ſumatur, tam Propheticus loquendi mos poſtulat, quàm Hebdomadarũ harũ analogia. Eadẽ ſunt, quæ idem Angelus hîc, & ibidem prænunciat; atque luctus ille, quo ſe maceraverat Daniel, non tam viſionem illam, quàm hanc reſpicere videtur, innuente ipſo Angelo, qui pro Judæis (ait) à Michaelis conſiliis *ſe ſtetiſſe à primo anno Darii Medi*, id eſt ab illo tempore, quo ad diuturnas illas preces, quas refert hoc capite, quáſque ardentiſsimè effundere ſolitus erat, reſponſum à Deo accepiſſet: viſa itaque eſt hæc viſio, poſtquam Daniel oraverat *pro monte ſancto Dei* tribus ſeptimanis; id eſt poſt Templi conflagrationem, ſive Captivitatis annum circa XXI[um]. Confirmat hoc ipſius Angeli computus. *Ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jeruſalem, uſque ad unctum Ducem Hebdomadæ ſeptem.* Tres ſeptimanæ præteritæ, ſeptémque manentes, efficiunt decem à Jeremiâ definitas hebdomadas, ſive 70 annos.

Num. 14. *v.* 34. & *Ezech.* 4. *v.* 6

c. 11. *v.* 1.

v. 20.

Filii Aſſueri] Regem Aſſuerum eſſe Cu-Axarem, & Cy-Axaris Phraortis F. tempore Medo-Perſi-

Perſicum regnum extitiſſe ſuprà, dictũ eſt. Regnúmne itaque, vivente patre, adeptus eſt Darius, Cy-Axaris filius? In rebus parùm cognitis nihil temerè affirmamus.

Videamus tamen an Cy-Axares hic Darii pater, an alter Darii filius ſit Aſſuerus ille, Eſteris maritus. Cõtigit certè Eſteris hiſtoria intra hæc ſeptuagenariæ captivitatis tempora. [a] Ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ ταύτῃ (Babylonicâ) γίνεται Ἀισθὴρ καὶ Μαρδοχαῖος. Nam [b] *Mordechai, qui tranſportatus fuerat de Jeruſalem cum Jechoniâ*, inter [c] *Seniores* reduces numeratur. [d] *Regnabat Aſſuerus ab Indiâ uſque ad Arabiam. Chus* enim eſſe Arabiam à viro [e] doctiſsimo oſtenſum eſt. Latiſsimè autẽ extendebatur Arabia. [f] *Euphrates eam diſterminat à Comagene*; & ei accenſetur [g] *Meſopotamia*. Indiam itaque, & Babyloniam interjacuiſſe videtur regnum Aſſueri, ex CXXVII *provinciis* conſtans; [h] quot ferè Darius Medus conſtituerat. Ejus regia eſt urbs [i] *Suſa*, quam à Medi filio reſtauratam ex Æſchylo didicimus: Proceres denique, populúſque, moréſque ſunt [k] *Perſo-Medi*. Ex quibus omnibus conjicere poſſumus Aſſuerum, Eſtheris maritum, fuiſſe Darii Medi filium; nempe Xenophontæum (quem diximus) Cy-

a *Cle. Alex. ſtrom. 1. p. 329. c.*

b *Eſth. 2. v. 6.*

c *Eſth. 2. v. 2. Nehem. 7. 7.*

d *Eſth. 1. v. 1.*

e *Bochart. Geog. S. l. 4. c. 2.*

f *Plin. l. 5. c. 24*

g *Xenoph. Anal. l. 1.*

h *Dan. 6. v. 1.*

i *Eſth. 1. v. 2.*

k *v. 3. 18, 19.*

Xarem, ſecundum Perſarum (ſive Perſo-Medorum) regem.

De ſemine Medorum] Μηδος Æſchylo. De Dario Medo, ejúſque dominatione in Chaldæos diximus in Perſicis.

v. 2. *Ego Daniel intellexi*] verte *intellexeram*: jamdudum ſcilicet, ex eo tempore, quo primùm intellexerat annorum numerum, id eſt ab initio captivitatis. Neque enim veriſimile eſt Danielem diù ignoraſſe celeberrimam illam Prophetiam. *Ex recogitatu* (inquit Tertullianus) *prædicatorum temporum ab Hieremiâ.*

De Jejuniis, p. 7-6.

Ad complendum deſolationes Jeruſalem annos LXX] Epocha Captivitatis, eſt Urbis, Templíque excidium. Quod imprimis notatu digniſsimum eſt: quoniam ab illo tempore ſupputatur æra Prophetiæ; non illius tantùm, de decem ſeptimanis, à Jeremiâ prædictæ; ſed alterius etiam de 62. jam ab Angelo dicendæ.

v. 3. *Poſui faciem meam*] id eſt ponere ſolitus fueram; ſcilicet *ter in die* c. 6. v. 10. à deſolatione Jeruſalem uſque ad diem hujus viſionis: *per tres integras hebdomadas*, c. 10. v. 3. Aſsiduis precibus tandem reſpondit Deus.

v. 4. *Obſecro Domine*] In oratione hâc illud præ-

præcipuè (ad rem noſtram) obſervandum eſt, ſingulis Danielis petitionibus ſigillatim reſpondere Gabrielem.

v. 21. *Gabriel quem videram principio*] In viſione ſecundâ, c. 8. v. 16. iterúmque in viſione quartâ, c. 10. v. 5. Diximus eandem rem ab eodem Angelo ſæpiùs oſtenſam.

Advolans cum laſsitudine] Velociter. Gabriel duabus alis volare dicitur, Michael unâ. Ni mirum Deus propenſior ad miſericordiam, quàm ad vindictam.

v. 23. *Exiit verbum*] Eadem vox iterùm, v. 25. Mandatum accepit à Deo, ut reſponderet Danieli de quæſitis. Reſponſionis autem Angelicæ duæ ſunt partes; prima eſt ἀνάλημψις eorum quæ à Daniele (hoc capite) petita ſunt: ſecunda eſt χρηματισμὸς eorum, quæ à Deo de Urbe ſunt decreta.

Intellige verbum, & viſionem] Attende iis quæ dicam, ut intelligas non ſolùm *verbum Jehovæ ad Jeremiam prophetam de 70 annis*, v. 2. ſed aliquid etiam amplius, quod ego tibi in hac *viſione* demonſtrabo.

v. 24. *Hebdomadæ* LXX] Jamdudum edoctus es à Jeremiâ de 70 captivitatis annis:

Ego de ſepties ſeptuaginta annis enunciaturus venio. Vaticiniorum τὴν ὁμάδα dicit. Quomodo autem numerus ille diviſim accipiendus, quomodo computandus eſt, mox indicat.

Deciſum eſt] Ita de re præſente reſpondet Angelus, ut & futuram ſpectet: quaſi dicat. Calamitas hæc, à Nabuchodonoſoro peccatrici genti illata, ex juſtiſſimo Dei decreto obtigit; atque ex illius miſericordiâ finem, ſtatuto tempore, habitura eſt pœna, ſive exilium, quando reſtaurabitur Civitas, & Sanctuarium. Ex ſimili decreto, ſimilem ob cauſam, altera poſt aliquot ſecula eveniet deſolatio, cujus initium, finémque (Deus enim jam ſtatuit) tibi ſtatim dicam.

Super populum tuum] Diximus Angelum ad partes præcedentis orationis reſpondere. *Viros Judæ, habitatores Jeruſalem, & omnes Iſraelitas in omnes terras ejectos* queſtus eſt Daniel, v. 5. Pro *populo* precatus eſt, v. 15. 19. *Tuum*, id eſt, cujus tu pars es, quem tantoperè amas.

Civitatem ſanctam] *Montem ſanctitatis* vocavit Daniel, v. 16. *Montem ſanctum Dei*, v. 20. *Civitatem vocatam de nomine Dei*, v. 18. Sic *Urbs Dei*, Pſal. 48. 2. 9. & 101. 8.

Ad

Ad Conſummandum prævaricationem] De *prævaricatione Judæorum, quâ prævaricati ſunt in Deum*, vide v. 7. & deinceps. Senſus eſt, ut finem ſuum accipiat pœna (i.) exilium, quo Deus puniit Judæorum contumaciam, vid. 2 Reg. 24. v. 4, 5.

Ad ſigillandum peccata] Ut pœna peccatorum finem habeat: obſignari ſolent quæ completa ſunt. Sic in Computo Judaico, *Ad obſignatam Miſna, Ad obſignatum Talmud*, id eſt ad abſolutum. Peccata autem v. 5. & deinceps faſſus eſt Daniel.

Ad expiandum iniquitatem] Ut luatur iniquitas: ut *avertat ſe ira Dei*, v. 16. & ut *condonet Deus*, v. 19. & Judæis reconcilietur Deus.

Ad adducendum juſtitiam ſæculorum] Æternam, Dei ſcilicet: cui tribuitur *juſtitia ipſa*, v. 7. & v. 16, deprecatus eſt iram Dei contra Hieroſolymam *ſecundùm omnes ſuas juſtitias*.

Ad ſigillandum viſionem & prophetiam] Ut impleatur tùm Prophetia Jeremiæ, de 70 annis, v. 2; tùm viſio hæc tua de ſecundi Templi profanatione.

Et ad ungendum Sanctitatem ſanctitatum] Sancti Sanctorum titulo inſigniuntur, Templum, & Sacer-

Sacerdotium. De *Sanctuario Dei desolato* quæstus est Daniel, v. 17. De unctione infrà ad v. 26.

Hactenùs Angelus, postulata Danielis recitans, maximam illi præstruxit fiduciam; utpote qui compertum habeat, nihil à Deo esse inauditum: transit jam ad responsionem, & enarrat decreta Dei. Ea autem duplicia sunt, primum vetus, de Judæorum reditu, quod prædixit olim Jeremias, & jam confirmat Angelus: alterum novum, de secundâ unctionis excisione, quam nemo antehàc suspicatus est.

v. 25. *Scito, & intellige*] Quasi dicat, Dixi Deum de Judæis aliquid statuisse, ultra tempus per Jeremiam præfixum; sed obscurè, & συγκεκομμένως dixi: attende paulisper, ego singula enarrabo distinctè.

Ab exitu verbi] Intelligit diem illum, in quo Danielem allocutus est. Dixerat enim (v. 23.) *exiisse verbum*, quum Daniel *sub tempus vespertini sacrificii* se ad preces contulisset. Idem utrobique vocabulum, res eadem. Tertullianus legit. *Et intellige, & conjice à profœtatione sermonis, respondente me tibi hæc.* Annus autem erat (ut

Adversus Iudæos.

suprà

ſuprà dictum eſt) Captivitatis 21us.

Ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jeruſalem] Uſque ad illud tempus, quo licentia concedetur Judæis redeundi è Babylone, & antiquas ſuas ſedes inhabitandi. Neque novum eſt, *exitum verbi*, de ſermone Angeli, interpretari; aut Epocham Hebdomadarum in iſto anno collocare. Nam *Hippolytus*, teſte Hieronymo, *ſeptem Hebdomadas ante reditum populi ſupputat.* *In locum.*

Uſque ad unctum Ducem] Uſque ad illud tempus, quo Cyrus ſuper Babylonios regnare incipiet: vel uſquequo populus Judaicus ſub Zorobabele duce, Joſuáque Pontifice redibit. *Cyrum unctum ſuum* Deus vocat, quia ejus operâ (ut ex v. 4. ejuſdem capitis conſtat) uti decreverat ad ſui populi libertatem. *Eſai.* 45. 1. Zacharias itidem Zorobabelem, Joſuámque (de quibus paulò antè prophetaverat) appellat *duos filios olei*, quos Dominus unxerat ad Eccleſiam Judaicam, ſub Captivitate Babylonicâ perditam, denuò inſtaurandam. *Candelabrum* enim ibidem deſignat Templum. *Uncti* autem vocantur Hebraicè, qui, ſingulari divinæ providentiæ beneficio, ad eximias dignitates erant pro- *c.* 4. *v.* 14.

Psal. 105. 15. vecti; ut Abraham, & Isaac. Ita Sacerdos summus est *Sacerdos unctus.* Præcipuè autem Judæi vindicem libertatis intelligebant *Uncti* nomine. Sic qui se missos divinitùs liberatores populi falsò profitebantur, ψευδόχριστοι dicebantur. Idem *Ducis* nomen c. 11. v. 22. designat principem (ni fallor) Judæorum.

Hebdomadæ septem] Eusebius rectè censet

Demonst. Evang. l. 7. p. 391. a. μὴ μάτην, μηδὲ ὡς ἔτυχε τὴν διαίρεσιν πεποιῆσθαι τὸν λόγον τῶν ἑβδομήκοντα ἑβδομάδων. Divisionẽ hanc maximè considerandam existimat ad τὴν τοῦ ζητηθέντος ἀκριβῆ λύσιν, *ad exquisitam quæstionis solutionem.* Interlinearis itaque Pagnini editio στιγμὴν hîc ponit, propter accentum Athnac, qui distinguit periodos: à sequentibus enim hæc separanda sunt: distincti omnino sunt hi numeri; & res diversas, aliquot sæculis inter se dissitas, designant. Prior numerus Cyri tempora; posterior Epiphanis indigitat. Sensus hic est. Indubitatissimum est quod Jeremias prædixit de decem captivitatis hebdomadibus: satis nosti tres jam elapsas esse; nec minùs certum est, post septem alteras rediturum populum. Si ab hâc visione numeraverint Judæi, complebitur in reditu

ditu ipſorum quidam Jubilæus.

Cùm jam ſatis datum ſit *deſideriis*, & ſuſpiriis Danielis, confirmatúſque ſit Judæorum, præſtituto tempore, reditus; tranſit Angelus ad novam (quam dixi) Revelationem, omnibus hactenùs inauditam, præterquàm uni Danieli; cui res eadem bis anteà, poſteà ſemel repetita eſt; capitibus VII. VIII. X. Ex quibus locis huic (quem præ manibus habemus) aliquantum lucis adhibere ſperamus.

Non minùs Danielis Prophetia, quàm Jeremiæ, impletionis ſuæ numeros ab excidio Hieroſolymitano inchoat. Πεπλήρωται ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας, τῆς, ὅτε Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, εἰς Βαβυλῶνα γενομένης, τὰ ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου εἰρημένα, ὅπως ἔχοντα. Ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες, &c. *A deportatione in Babylonem, quæ fuit tempore Jeremiæ prophetæ, impleta ſunt ea, quæ à Daniele prophetâ dicta ſunt, his ve, bis,* LXX *hebdomadæ*, &c. Utriuſque ἐγκαινισμοῦ eadem eſt epocha. Priori (à Joſuâ & Zorobabele celebrato) Jeremias aſſignavit æram X hebdomadarum, quarum VII jam reſtabant, quando apparuit Angelus. Poſteriori (à Judâ Maccabæo peracto) aſſignavit Angelus æram hebdomadarum LXIII

Clem. Alexand. ſtrom. 1. p. 330 b

cum dimidio, quæ conficiunt annos CDXLIV, cum dimidio anni. Ad amuſſim quadrat Chronologia. Nam exciſum eſt Templum (ſicuti dictum eſt) anno LXX° ante initium Cyri Babylonicum: erat is annus Nabonaſſari CXLI^us, Periodi Julianæ 4107, quibus ſi addantur anni 444, habetur annus Per: Jul: 4551, qui erat annus Principatus Aſſamonæi ſecundus. Nam anno demùm Per: Jul: 4677. (Agrippâ, & Gallo Coſſ:) Hieroſolyma capta ſunt ab Herode, & Sofio; & Πανεται ἡ τῶ Ασσαμωναίω ἀρχὴ, μετὰ ἔτη ρκϛ. *Deſiit Aſſamonæi principatus poſt annos* CXXVI. Cæpit itaque an: Per: Jul: 4550, quo Judas *devicit Apollonium.* Anno proximo, (Principatûs ſecundo) Judas repurgavit Templum, & Encænia celebrata ſunt, XXV°. *die noni menſis, Caſleu.* In Calendario Judaico, ad Menſis IV^ti diem 17um. *Jejunium; Ceſſat* ὁ Δελεχισμὸς, ſive juge ſacrificium Prioris Templi. Ad Menſis V^ti diem nonum (*decimum* potiùs, vel *ſeptimum*) *Jejunium. Deſolatio Templi.* Jejunia hæc, inter quatuor iſta, quæ poſt captivitatem *ſolennia.* Urbs capta eſt à Nabuchodonoſoro menſe quarto; quinto conflagravit Tem-

Joſeph l. 14. in fin.

1 Macc. 3. 11.

1 Macc. 4 52.

Jer. 52. 12.

2 Reg. 25. 8.

Zach. 8. 19.

Templum. A die 17° menſis IV^xi, ad 25^tum noni, non eſt ſemeſtre intervallum: deſiderantur quidem dies XX. Sed tantillum μεταχρονισμὸν non curat hebdomadalis annorum computus.

Cæterùm quum annus hic repurgati Templi, ſit Græcorum CXLVIII^us; videndum an non Epocha Syro-Macedonica meliùs collocetur in annum *tertium* Olympiadis CXVII ab Alexandrino Chronico, quàm in *primum* ab Euſebio. Sanè *Edeſſenorum* æra, quæ non diverſa videtur, apud ipſum Euſebium (in Pithæano, ſeptemque Vaticanis codicibus) ab anno illius Olympiadis *tertio* initium habet. Sed ad Danielem revertamur. 1 *Macc.* 4. 52. *Av. Pontac. in Euſeb.*

Et hebdomade LXII] Quemadmodum ab excidio Templi elabentur decem hebdomadæ, antequàm Sacerdotale munus inſtaurabitur; ſic ab eodem excidio excurrent hebdomadæ LXII, priuſquàm excidentur Ritus illi ſacri, qui tam diù ſub Templo ſecundo benè ſe habebunt. Durabit juge ſacrificium poſt reditum an. CCCLXX. Tunc verò Antiochus Epiphanes, Syriæ regnum adeptus, alterum erit Judæorum flagellum. Nam ſub finem

finem hebdomadæ LXII^{æ} regnare cœpit Epiphanes.

Redibit, & ædificabitur platea, & foſſa] Viri doctiſsimi interpretati ſunt *Intra quod ſpatium*, vel *Poſtquàm jam rurſùs ædificata fuerit urbs, & ejus mœnia.*

In anguſtiâ temporum] Si ad reædificationem urbis (quæ præceſsit) referendum hoc ſit, de moleſtiâ, præ dolo Sanballati, interpretari licet; de quâ Nehem. 3. & 4. Poteſt fortaſſe de exciſione ſequente intelligi.

v. 26. *Et poſt hebdomadas* LXII] Id eſt circa finem illius hebdomadæ, quæ 62 proximè ſequitur. Antiochus non ſtatim, regno inito, prophanabit Templum; ſed poſt annos penè ſeptem. Nam *confirmabit pactum multis hebdomadâ unâ*: de quâ dicemus ſtatim.

1 *Macc.* 1. 57.

Excidetur unctus] Ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα. *Perdetur unctio*, extinguetur. Illa *unctio* quæ jam ceſſat, ſed ad reditum inſtauranda eſt; illa (inquam) unctio iterùm (hebdomadâ 63) ab Epiphane interrumpetur. Euſebius dicit Danielem præſignificaſſe ἐξολοθρευθήσεσθαι τὸ παρ' Ἰουδαίοις χρίσμα. quod alibi ſic interpretatus eſt Χριστὸν ἐκ ἄλλον εἶναι τοῦ καταλόγου Ἀρχιερέων

Eccl. Hiſt. l. 1. *c.* 6.

Dem. Evang. l. 8. *p.* 391.

ρέων οὓς χριστοὺς ἔθος ἀποκαλεῖν τῇ γραφῇ. *Unctum nihil aliud esse, quàm successionem Pontificum, quos unctos nominare S. literæ consueverunt.* Theodoretus per *unctionem* intelligit τὴν τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἐπανθοῦσαν χάριν. Sacerdotes, *uncti.* Exod. ult. 13. Levit. 4. 5. *Excîdi* autem de quâlibet abolitione usurpatur, quando cessat res priùs usitata. Joel. 1. 8. De *regno* dicitur, 1 Reg. 2. 4. & 9. 5. 2 Chron. 7. 16. Jerem. 33. 17. quibus locis respicitur illud 2 Sam. 7. 16. De *Sacerdotio* 1 Sam. 2. 33. *Excidi de altari.* Jer. 33. 18. *Non de Sacerdotibus Levitis excidetur homo coram me. Excidetur unctus* idem est (ut visionem hanc ex cæteris illustremus) quod de Antiocho Epiphane dictum est, c. 7. v. 25. *Sanctos Altissimorum abolebit,* & c. 8. v. 11. *Usque ad principem exercitus cœli,* id est, Sacerdotum, *magnificabit se; ab eo ablatum est juge sacrificium, & abjectum sanctuarium.*

Et non ei] *erit* χρίσμα. Græci, καὶ κρῖμα οὐκ ἔσται ἐν αὐτῷ. Latini inserunt, *non erit ejus populus, qui eum negaturus est;* cujus in Hebræo οὐδὲ γρύ. Tertullianus vertit, *Exterminabitur unctio, & non erit.*

Et Civitatem & sanctitatem corrumpet] Idem est

est quod de Epiphane dicitur, c. 8. v. 24. *corrumpet populum sanctorum.* lege 1 Macc. 1. 23. & 2 Macc. 5. 15.

Populus ducis venturi] *Populus* est exercitus, *venturi* est advenæ, scilicet Epiphanis. Sic Gen. 42. 5. *inter venientes*, id est peregrinos. 2 Chron. 30. 25. *venientes Israelitæ* opponuntur habitantibus Judæis. Nehem. 5. 17. *venientes Gentilium* opponuntur indigenis Judæis. Atque *Dux* hic *venturus* opponi videtur *unctio Duci*, præcipuè si Zorobabelem intellexeris: hic nativus; ille peregrinus, Idem autem est *Dux hic venturus*, qui c. 7. v. 8. & c. 8. v. 9. est *Cornu parvulum*, &, c. 11. v. 21. *Despectus ille.*

Et finis ejus in inundatione] Eâdem voce utitur idem Angelus de eodem Antiocho, c. 11. v. 22. *Inundatio*, magnæ copiæ. Hostilis adventus *fluvio* comparatur, Esa. 59. v. 19. & Deus protectio contrà *inundationem*, Esa. 25. 4. Antiochus ex Ægypto redux *ascendit in Hierosolymam* ὡς ὄχλῳ βαρεῖ 1 Macc. 1. 21.

Et usque ad finem belli decisæ desolationes] c. 7. v. 21. *Cornu bellum gerebat cum sanctis, & prævalebat eis.* De desolatione ab Epiphane illatâ, lege libros Maccabæorum, & Joseph. l. 12. c. 11.

v. 27.

v. 27. *Et confirmabit pactum multis hebdomadâ unâ*] Hebdomas hæc eſt primum (ut diximus) Epiphanis *Septennium*, quum nondum prophanaverat Templum : cujus temporis obſcura mentio c. 11. v. 18. Sed c. 8. v. 14. non annus tantùm, ſed & dies nobis indigitatur. Quærenti Angelo de tempore, ab *egreſſu modici cornu*, id eſt ab initio Epiphanis, reſponſum eſt, *uſque ad* νυχθήμερον (dies) *bis mille & trecentos juſtificabitur Sanctuarium*; vel *mundum erit ſanctuarium*, ſalvum erit. *Confirmatio* autem *pacti*, de conſervatione, & exemptione à calamitate publicâ, intelligi poteſt. Nam (Gen. 6. 18.) Noæ (inquit Deus) *confirmabo pactum meum*, quum (v. 17.) *omne animal deſtructurus* erat. *Pactum* hoc illud eſt, quod in hujus rei hiſtoriâ c. 11. v. 28. 30. vocatur *pactum ſanctitatis*, & 1 Macc. 1. 66. Διαθήκη ἁγία.

Et dimidio hebdomadæ ceſſare faciet ſacrificium, & oblationem] De *ceſſatione ſacrificii* ab Epiphane illatâ vide c. 8. v. 11. & c. 11. v. 31. & 1 Macc. 1. 47. *Dimidium hebdomadæ* c. 7. v. 25. & c. 12. v. 7. deſcribitur per *Tempus, tempora, & dimidium temporis*, & c. 12. v. 11. per 1290 *dies*, qui aliquanto plus efficiunt quàm tres annos cum

dimidio; & numerandi ſunt ab urbe captâ, & interdictis ritibus. Quia tres tantùm anni erant, ex quo Idolum collocatum fuerat, 1 Mac. 1. 62. & 4. 52.

Joſephi 2. 11. p. 415. e.

Per expanſionem abominationum deſolantem] Græcis βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων, quod c. 11. v. 31. βδελύγματα τῶν ἠφανισμένων, &, c. 12. v. 11. βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως; Quo nomine appellatur Idolum illud Jovis Olympii, ab Antiocho in Templo Hieroſolymitano collocatum, 1 Macc. 1. 54.

Hæc Danielis verba à Chriſto ad ultimum Hieroſolymorum excidium applicantur. Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου. Eſt autem παρὰ. Cujuſmodi alluſiones apud Matthæum occurrunt plurimæ; ſenſu typico intelligendæ, non hiſtorico. Illud τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου non innuit peculiarem à Daniele editam fuiſſe prophetiam, de calamitate à Tito inferendâ; ſed ſignificat Danielis verba rei, de qua ſermo eſt, optimè convenire. Sic, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ προφήτου: Illud Hoſeæ [*Evocavi filium,*] *dictum* de egreſſu populi Iſraelitici ex Ægypto, ad Jeſum puerum transfertur. Sic τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου.

Mat. 24. 15.

Mat. 2. 15. Hoſ. 11. 1.

Mat. 2. 17.

Quod

Quod dictum est à Jeremiâ [*Vox in Ramâ*] de captivitate Samaritanâ, quadrat infanticidio. Longum esset singulas in Evangelio propheticorum locorum applicationes explicare. Videnda quæ annotarunt viri docti in Mat. I. 22. IV. 14. VIII. 17. XIII. 14. 35. XV. 7. & imprimis clarissimi Heinsii Exercitatio sacra in II. 15. Eadem verba in quibusdam Marci codicibus ex Matthæo adjecta esse, suspicio est; quia Latini non agnoscunt.

Jerem. 31 ,1.

Mat. 13. 14.

Donec consummatio decisa effundet se super desolatum] Usque ad tempus liberationis à Deo constitutum; de quo c. 7. v. 21. et c. 8. v. 19. c. 11. v. 36. Ista encænia à Judâ Maccabæo celebrata sunt. Tunc Judæis sua iterùm recuperata libertas, & ritus sacri, quibus fruituri erant tam diù, quàm benè usuri.

Videtur itaque ex visionum IV Harmoniâ Prophetiam hanc esse μονοτέσσαρον. An ultra Epiphanem prospexerit Daniel, viderint alii. Mihi satius est ad jugulandum Judaismum, vel unum telum, benè acuminatum, quàm hebetiorum multitudo.

FINIS.